Philosophy

DE

ONTOLOGICO PRO DEI EXSISTENTIA ARGUMENTO.

DISSERTATIO

HISTORICO-PHILOSOPHICA

SCRIPSIT

GUILIELMUS ARNOLDUS WALTE,
DOCTOR PHILOSOPHIAE; CANDIDATUS VENERANDI MINISTERII.

BREMAE 1856.
IN LIBRARIA SCHUENEMANNIANA.

PRAEFATIO.

Quamvis opus non esse existememus, ut fides in Deum optimum maximum, quae animo humano quasi innata est, quae simulatque mens nostra ad sui ipsius conscientiam pervenit ex obscuriore ab initio animi divinatione clarior indies certiorque cognitio fit, quae a prima juventute per parentes ac praeceptores teneris alumnorum animis summa et verecundia et diligentia infigitur, quae tam multis postea modis per naturae creatae pulchritudinem, ordinem, accommodatam ad summum finem assequendum rationem, per varias, quibus singuli homines et nos ipsi quoque ducimur vitae vias, per omnem omnino universi generis humani historiam magis magisque ei, qui ad omnia summae providentiae testimonia sincere animum advertit, confirmatur, quae probo denique vitae moralis usu saluberrimoque religionis atque pietatis influxu tamquam pura quae nunquam extingui postet flamma alitur, conclusionibus humanis fulciatur: altera tamen ex parte haudquaquam dubitamus, quin ratio nostra, quae et ipsa praestantissimum naturae nostrae donum firmissimumque dignitatis qua reliquas omnes creaturas longe superamus pignus est variis modis de numinis divini, in quod credimus exsistentia nec non de ejusdem potentia, sapientia sanctitate certiores nos reddere valeat. O infelicem eorum opinionem, qui prorsus liberum illimitatumque rationis usum fidei utique vel christianae certe

oppositum esse putant, quum ratio contra et fides arctissimo inter se concordiae vinculo unitae ad summum perfectionis gradum ut nobis sane persuasum est homines adducant! Itaque nos, ut ad ipsam rem propius accedamus, hac nostra dissertatione id egimus, ut veram Dei exsistentiam demonstratione aliqua intelligendo percipi posse ostenderemus. Quod ex iis, quae ad Dei exsistentiam probandam a philosophis theologisque propositae sunt demonstrationibus *ontologicum* argumentum elegimus hae erant causae: primum quia hoc argumentum ipsa numinis divini idea rationi nostrae insita quasi principio suo utitur, tum quia hac demonstratione proposita et in eum quem nos adhibuimus modum conformata, non solum Deum re vera exsistere sed etiam perfectissimam mentem sui ipsius consciam, sive quod idem significat personam esse probari nobis videtur. Priore autem dissertationis nostrae parte *brevem ontologici argumenti historiam* e fontibus haustam exhibuimus, ut quomodo hanc ipsam demonstrationem inde jam ab antiquissimis temporibus sapientes viri proposuerint et sagacissime profecto excoluerint cognoscatur. Altera deinde hujus dissertationis parte *novam argumenti ontologici formam* proposuimus, quae quamvis haudquaquam omnibus numeris perfecta sit idonea tamen esse uobis videbatur, qua vera Dei exsistentia quam fide tenemus rationis quoque auxilio confirmari possit. Jam vero quatenus propositum nostrum adepti simus, hoc virorum doctorum judicio committere debemus neque aliud quidquam quum hanc dissertationem in publicum edituri sumus optamus, quam ut aequis judicibus non prorsus displiceat.

Scribebam Bremae mense Aprili
anni MDCCCLVI.

A. Walte.

INDEX.

I PARS:

BREVIS ARGUMENTI ONTOLOGICI HISTORIA EXHIBETUR.

CAPUT I.

Inde ab antiquissimis religionis Christianae saeculis usque ad Anselmum Cantuariensem.

Inter philosophica ad Dei exsistentiam probandam argumenta summum facile et gravissimum est id quod ontologicum appellatur, quod numen Divinum non solum necessario ab hominibus cogitandum esse sed etiam extra cogitationes humanas vere ac realiter exsistere e sola rationali entis perfectissimi idea demonstrare conatur. Quo tamen argumento priorum saeculorum Christianorum theologi atque philosophi rarissime usi sunt, cujus rei ratio haud difficile intelligi potest. Nam inter illos homines, quibuscum antiquissimis religionis Christianae addictis certamen erat, non fere inveniebantur, qui omnino Deum esse negarent. Judaei enim Christianis ab iis verum Deum optimum maximum non patrio more et quasi rite coli et Jesu Nazaraeo, qui falso se Messiam quin etiam Dei filium esse praedicaverit, fidem haberi exprobrabant. Quibus igitur probandum erat et Jesum verum Abrahamo jam a Deo promissum et a prophetis praedicatum Messiam esse et non externam illam legis Mosaicae impletionem, sed fidem intus in cordibus, quae verae virtutis fons quasi principiumque sit solam homines coram Deo justificare et beatos reddere posse. A. Paganis autem Christiani arguebantur, tum quod Deorum cultum impie negligerent tum quod vitam suam clandestinis vitiis contaminarent. His igitur illud potissimum demonstrandum esse videbatur,

Christianos et verum Deum, quem illi quidem non cognovissent, sed tamen sapientissimi viri inde ab initio generis humani animo praesagissent pie verecundeque colere et vitia illa, quorum falsis criminationibus accusarentur nequaquam committere immo potius clarissimis virtutibus vitam ornare. Quod quum ipsa vivendi agendique ratione maxime probandum esset, ad nostram quaestionem non pertinet. Illud vero, quod unum verum Deum re vera colerent ratione sane et philosophia demonstrandum erat, cui tamen demonstrationi illud praecipue argumentum, quod physico-theologicum appellatur valde idoneum erat. Quo fit, ut hoc argumentum non solum in libris Novi Foederis saepius nobis occurat [1]) sed etiam ab antiquissimis scriptoribus ecclesiasticis maxime adhibeatur [2]). Accedit, quod hoc praecipue argumento criminationes saepe auditae, Christianos novos advehere Deos optime redarguebantur, quia celeberrimi jam Graecorum et Romanorum sapientes ex rerum natura numen Divinum esse demonstraverant [3]).

Neque tamen argumentum ontologicum ab illorum saeculorum viris doctis Christianis plane omissum est, quorum duo maxime praecellunt. Alter erat Augustinus celeberrimus ille Hipponis regii episcopus, qui anno 354 p. Ch. natus est et anno 430 e vita excessit. Is in opere suo quod inscribitur; De libero arbitrio [4]) et quidem libro II disputatione cum Evodio episcopo Uzalensi [5]) instituta argumentum ontologicum proponit. Et primo quidem omnium rerum summam et optimam rationem humanam esse demonstrat. Sunt tres, inquit, quasi exsistendi gradus esse et vivere et intelligere

1) Matth. VI 25 sqq. Act XIV 15 sqq. XVII 24 sqq. Rom I 19 sqq.

2) Theophilus: ad Autolycum I 72. Lactantius: institutio divina I 2. Gregorius Nazianzenus: oratio XXVIII. Basilius: homilia VII in Hekaemer.

3) Xenophon: Memorabilia I. 4. IV. 3. Plato: de legibus X. Cicero: De natura deorum II 38 sqq. Tusculanae disputationes I 29.

4) Opera editio Benedict. Paris 1679. tom. I p. 435 sqq.

5) cf. Opera ed. Benedict. tom. II epistola CLXII.

quorum alterum altero praestantius est. Ad illud quod tantum est omnia pertinent corporalia quae sensus nostri adtingunt. Ad illud quod et est et vivit ipsi sensus nostri referuntur. Sed praestantius sensibus illis exterioribus est sensus interior, quem quidem rationem appellare non possumus, quia et bestiae illo praeditae sunt, qui tamen moderator et judex quidam sensuum exteriorum est. Nulli autem dubium est eum qui judicat eo de quo judicat esse meliorem. Ratio autem sive intelligentia humana etiam de hoc interiore sensu judicat. Quo manifestum fit, nihil inveniri posse, quod in natura hominis ratione esset sublimius. Sed si aliquid inveniremus, quod ratione nostra praestantius, imo omnium quae cogitari possunt longe praestantissimum esset, illum esse Deum concederemus? Certe si concedendum nobis esset, et corporalia omnia et vitam qua corpus animatur et ipsam rationem humanam fluxam esse et mutabilem, esse autem aliquid aeternum et incommutabile aut id ipsum aut si quid supra esset, eum esse Deum fateremur [6]). Qua explicatione peracta Augustinus esse aliquid ratione humana sublimius aeternum et incommutabile demonstrare studet: Quodquod sensus nostri percipiunt, id etsi plures homines idem sentire possunt tamen suo quisque sensu percipit. Et sunt quidem alii sensus e. g. videndi et audiendi et tangendi, qui unam eandemque rem aut simul aut certe diversis temporis spatiis percipere possunt; alii e. g. olfaciendi et gustandi, qui eandem rem aut certe eandem rei cujuslibet partem percipere nequeunt. Proprium igitur et quasi privatum intelligendum est, quod unicuique nostrûm soli est et quod in se solus sentit, quod ad suam naturam proprie pertinet; commune autem et quasi publicum, quod ab omnibus sentientibus sine ulla sui corruptione et commutatione sentitur. Tamen id quoque quod omnibus sentientibus com-

6) cf. l. c. cap. I—IV.

mune est fluxum re vera et mutabile est. E. g. sonum quendam tibiae aut cantus plures simul homines audiunt; quidam eorum qui audire eum voluit, sero venit, quum jam tibia vel cantus conticuit; ille eundem sonum quem ceteri amplius audire non potest. Sic quod sensus nostri adtingunt id omne loco vel temporis spatio terminis circumscriptum est. Quod igitur de corporalibus rebus non possumus sentire ambo sed singuli, nisi quod ita fit nostrum, ut hoc in nos vertere et commutare possimus id proprium unicuique nostrûm est et ad sensuum nostrorum naturam pertinet. Quae autem non commutamus et tamen sentimus corporeis sensibus, non pertinent ad naturam sensuum nostrorum et propterea magis nobis sunt communia, quia in nostrum proprium et quasi privatum non vertuntur et mutantur. Si autem rationem humanam consideramus, inveniuntur multa quae omnes ratiocinantes sua quisque mente communiter vident, quum illa quae videntur praesto sint omnibus e. g. veritas et ratio numerorum necnon sapientia sive veritas in qua cernitur et tenetur summum bonum. Quae et in Scriptura sacra comparantur, quum (Ecclesiast VII, 26) dicit: Circuivi ego et cor meum, ut scirem et considerarem et quaererem sapientiam et numerum. Haec sunt incorruptibilia et incommutabilia vera, quae aequaliter omnibus se praebent, quae neque loco neque temporis spatio circumscribuntur, nec quum in iis quisquam fallitur ipsa deficiunt sed vera et integra permanent [7]).

His positis atque concessis Augustinus viam sibi aperuerat ad argumentum pro Dei exsistentia proponendum, quod his fere verbis explicat [8]). Quapropter nullo modo negaveris, esse incommutabilem veritatem haec omnia quae incommutabiliter vera sunt continentem, quam non possis dicere tuam vel

---

7) cf. l. c. cap. VII—XI.

8) cf. l. c. cap. XII—XV.

meam vel cujusquam hominis, sed omnibus incommutabilia vera cernentibus tamquam miris modis secretum et publicum lumen praesto esse et se praebere omnibus communiter; omne autem quod communiter omnibus ratiocinantibus praesto est ad ullius eorum proprie naturam pertinere quis dixerit? Meministi enim ut opinor, quid de sensibus corporeis paullo ante tractatum sit, ea scilicet quae oculorum vel aurium sensu communiter tangimus sicuti sunt colores et soni, quos ego et tu simul videmus vel simul audimus, non pertinere ad oculorum nostrorum auriumve naturam sed ad sentiendum nobis esse communia. Sic ergo etiam illa, quae ego et tu communiter sua quisque mente conspicimus nequaquam dixeris ad mentis alicujus nostrûm pertinere naturam. Duorum enim oculi quod simul vident nec hujus nec illius oculos esse poteris dicere, sed aliquid tertium, in quod utriusque conferatur adspectus. Evodius: Apertissimum atque verissimum est. Augustinus: Hanc igitur veritatem, de qua jam diu loquimur et in qua una tam multa conspicimus, excellentiorem putas esse quam mens nostra an aequalem mentibus nostris an etiam inferiorem? Sed si esset inferior non secundum eam sed de ea judicaremus, sicut judicamus de corporibus, quia infra sunt et dicimus ea plerumque non tantum ita esse vel non ita, sed ita vel non ita esse debere; sic et de animis nostris non solum ita esse animum novimus, sed plerumque etiam ita esse debere. Et de corporibus quidem sic judicamus, quum dicimus: minus candidum est quam esse debuit aut minus quadrum et multa similiter. De animis vero: minus aptus est quam debet, aut minus lenis aut, minus vehemens, sicut nostrorum morum se ratio tulerit. Et judicamus id secundum interiores illas regulas veritatis quas communiter cernimus; de ipsis vero nullo modo quis judicat. Quum enim quis dixerit, aeterna temporalibus esse potiora, aut septem et tria decem esse, nemo dicet, ita esse debuisse, sed tantum ita esse; cognoscens non examinator corrigit, sed tantum laetatur inventor. Si autem aequalis mentibus nostris

haec veritas, mutabilis etiam ipsa esset. Mentes enim nostrae aliquando eam plus vident, aliquando minus, et ex hoc fatentur, se esse mutabiles, quum illa in se manens nec proficiat, quum plus a nobis videtur nec deficiat quum minus, sed integra et incorrupta et conversos laetificet lumine et aversos puniat caecitate. Quid, quod etiam de ipsis mentibus nostris secundum illam judicamus, quum de illa nullo modo judicare possimus? Dicimus enim: minus intelligit, quam debet, aut tantum quantum debet intelligit. Tantum autem mens debet intelligere, quantum propius admoveri et inhaerere potuerit incommutabili veritati. Quare si nec inferior nec aequalis est, restat ut sit superior atque excellentior. Promiseram autem si meministi, me tibi demonstraturum, esse aliquid quod sit mente nostra atque ratione sublimius. Ecce tibi, est ipsa veritas, amplectere illam si potes, et fruere illa et delectare in Domino et dabit tibi petitiones cordis tui. Quid enim petis amplius, quam ut beatus sis? Et quid beatius eo qui fruitur inconcussa et incommutabili et excellentissima veritate?

Haec est libertas nostra quum isti subdimur veritati et ipse est Deus noster qui nos liberat a morte, id est a conditione peccati. Ipsa enim Veritas homo cum hominibus loquens ait credentibus suis (Ev. Joan VIII 31): Si manseritis in verbo meo, vere discipuli mei estis et cognoscetis veritatem et veritas liberabit vos. Nulla enim re fruitur anima cum libertate nisi qua fruitur cum securitate. Nemo autem securus est in iis bonis, quae potest invitus amittere. Veritatem autem atque sapientiam nemo amittit invitus; non enim locis separari ab ea quisquam potest; sed ea quae dicitur a veritate et sapientia separatio perversa voluntas est, qua inferiora diliguntur. Habemus igitur, qua fruamur omnes aequaliter et communiter. Non enim ab ejus communione in privatum tuum commutas aliquid; sed quod tu de illa capis et mihi manet integrum. Quod te inspirat, non exspecto ut reddatur abs te et sic ego ispirer ex eo, non enim aliquid ejus aliquando fit cujusquam

unius aut quorundam proprium, sed simul omnibus tota est communis. Ac per hoc eam manifestum est mentibus nostris, quae ab ipsa una fiunt singulae sapientes et non de ipsa sed per ipsam de ceteris judices, esse potiorem. Tu autem concesseras, si quid supra mentes nostras esse monstrarem, Deum te esse confessurum si adhuc nihil esset superius. Quam tuam concessionem accipiens dixeram satis esse ut hoc demonstrarem. Si enim aliquid est excellentius, ille potius Deus est, si autem non est, jam ipsa veritas Deus est. Sive ergo illud sit, sive non sit, Deum tamen esse negare non poteris, quae nobis esset ad disserendum et tractandum constituta quaestio. Nam si hoc te movet, quod apud sacrosanctam disciplinam Christi in fidem recepimus, esse Patrem sapientiae, memento nos etiam hoc in fidem accepisse, quod aeterno Patri sit aequalis quae ab ipso genita est sapientia. Unde nunc nihil quaerendum est sed inconcussa fide retinendum. Est enim Deus et vere summeque est. Quod jam non solum indubitatum ut arbitror fide retinemus, sed etiam certa quamvis adhuc tenuissima forma cognitionis adtingimus, quod quaestioni susceptae sufficit, ut caetera quae ad rem pertinent explicare possimus, nisi quid habes adversus ista quod opponas. Evodius: Ego vero incredibili omnino et quam tibi verbis explicare non possum laetitia perfusus accipio ista et clamo, esse verissima. Clamo autem voce interiore, qua exaudiri cupio ab ipsa veritate et illi inhaerere, quod non solum bonum sed etiam summum bonum et beatificum esse concedo.

Hanc argumentationem si consideramus, dicendum nobis erit, Augustinum quidem quod sibi proposuerit perfecisse. Praeclarissime enim demonstravit, esse aliquid mentibus humanis excellentius, veritatem scilicet et sapientiam, et quia omnibus intelligentibus communis ac per se inconcussa et incommutabilis sit, ut si quis eam non intelligat imo multi ratiocinantes eam non videant ipsa tamen non deficiat, et quia secundum eam quasi lapidem lydium de omnibus rebus, non de corporibus

solum, sed de ipsis etiam animis nostris judicare possimus, quum de ipsa tamen nemo judicet et quia si hanc sapientiam amplectamur, summum in illa ipsa et aeternum nobis bonum praebeatur. Sed nullo modo sicut ille Evodius concedere possumus, hoc argumento veram Dei exsistentiam probari. Demonstrandum potius fuisset, aut esse aliquam mentem nostris mentibus longe excellentiorem et ipsam illius veritatis sive sapientiae plenissimam, quod ex Augustini argumento nequaquam sequitur, aut illam ipsam veritatem Deum re vera esse, quod per prosopopoeiam tantum dici potest, quod tamen poëticum dicendi genus rationalis argumenti locum obtinere minime potest. Imo vero in Scriptura Sacra id quod ipse Augustinus rectissime dicit, Deus Pater, sapientia autem prima et summa ejus creatura et quasi filia appellatur. Sed si Augustinus sapientiam, quae ab ipso Deo genita sit Deo esse aequalem ostendere studet, rectissime quidem haec res se habet si secundum ipsam Scripturae Sacrae sententiam accipimus, sapientiam illam clarissimam quasi et perfectissimam Dei imaginem esse; nullo autem modo inde sequitur, quod vir celeberrimus demonstrare conatur, quod ipsa sapientia Deus sit nec ab insita et quasi consignata in animis nostris ipsius notione differat. Hoc unum Augustinus demonstravisse nobis videtur, si Deum esse cognoverimus, id quod fide Christiana constanter tenendum est, veritatem illam aeternam et incommutabilem mentibusque nostris longe superiorem ad illius summi numinis rationem pertinere.

Alter eorum virorum, qui antiquissimis jam ecclesiae Christianae temporibus argumentum ontologicum in medium proponebant erat Anicius Manlius Torquatus Severinus Boëthius Romanus qui et gentis nobilitate et honestissimis rei publicae muneribus perfunctis et philosophiae excolendae studio maxime insignis violenta morte Theodorico regnante anno 524 p. Ch. affectus est. Is in opusculi quod De consolatione philosophiae inscribitur [9]) libro III capite X a notione et

9) cf. Boëthius: De consolatione philosophiae. Amstelodami 1640 Scripsit hunc librum in carcere cui traditus erat.

imperfecti et perfecti boni proficiscitur, quum ipsam philosophiam consolatricem his fere verbis loquentem inducit: Quoniam quae sit imperfecti quae etiam perfecti boni forma vidisti, nunc demonstrandum reor, quonam haec felicitatis perfectio constituta sit. In quo illud primum arbitror inquirendum, an aliquid hujusmodi bonum quale paullo ante definisti in rerum natura possit exsistere? ne nos praeter rei subjectae veritatem cassa cognitionis imago decipiat. Sed quin exsistat sitque hoc veluti quidam omnium fons bonorum negari nequit. Omne enim quod imperfectum esse dicitur id diminutione perfecti imperfectum esse perhibetur. Quo fit, ut si in quolibet genere imperfectum quid esse videatur, in eo perfectum quoque aliquid esse necesse sit. Etenim perfectione sublata, unde id quod imperfectum perhibetur exstiterit ne fingi quidem potest. Neque enim a diminutis inconsummatisque natura rerum cepit exordium, sed ab integris absolutisque procedens in haec extrema atque effeta dilabitur. Quodsi ut paullo ante monstravimus est quaedam boni fragilis imperfecta felicitas esse aliquam solidam perfectamque non potest dubitari. Firmissime, inquam, verissimeque conclusum est. Quo vero, inquit, habitet ita considera. Deum rerum omnium principem bonum esse communis humanorum conceptio probat animorum. Nam quum nihil Deo melius cogitari queat, id quo melius nihil est bonum esse quis dubitet? Ita vero bonum esse ratio demonstrat, ut perfectum quoque bonum esse in eo convincat. Nam ni tale sit: rerum omnium princeps esse non poterit. Erit enim eo praestantius aliquid summum possidens bonum, quod hoc prius atque antiquius esse videatur; omnia namque perfecta minus integris priora esse claruerunt; quare ne in infinitum ratio procedat confitendum est, summum Deum summi boni esse plenissimum. Sed perfectum bonum esse veram beatitudinem constituimus; veram igitur beatitudinem in summo Deo sitam esse necesse est. Sed quaeso, inquam, quanam id sancte atque inviolabiliter

probes, quod boni summi summum Deum diximus esse plenissimum. Quonam, inquit, modo? Ne hunc rerum omnium patrem summum bonum quo plenus esse perhibetur vel extrinsecus accepisse vel ita naturaliter habere praesumas quasi habentis Dei habitaeque beatitudinis diversam cogites esse substantiam. Nam si extrinsecus acceptum putes, praestantius id quod dederit eo quod acceperit existimare possis. Sed hunc esse rerum omnium praecellentissimum dignissime confitemur. Quodsi natura quidem inest sed ratione diversum quum de rerum principio loquamur Deo, fingat quis potest, qui haec diversa conjunxerit. Postremo quod a qualibet re diversum est, id non est illud, a quo intelligitur esse diversum. Quare quod a summó bono diversum est sui natura, id summum bonum non est, quod nefas est de Deo cogitare, quo nihil constat esse praestantius. Omnino enim nullius rei natura suo principio melior poterit exsistere, quare quod omnium principium sit, id etiam sui substantia summum esse bonum verissima ratione concluserim.

Qua demonstratione considerata nec Boëthium, sicut paullo anteo de Augustino judicandum nobis erat, Deum re vera exsistere argumento suo probasse nec praeclaram sane et admiratione dignissimam demonstrationem ratione vere ontologica niti facile apparet. Rectissime quidem philosophus nos imperfecti fragilisque boni notionem nisi summi perfectique boni ideam haberemus mente percipi non posse demonstrat, quia si in quolibet rerum genere imperfectum aliquid est, id diminutione tantum summi perfectique imperfectum esse perhibetur. Sed quomodo inde sequeretur, quod ipse Deus summum bonum sit, nisi Deum vere exsistere et summum quidem omnium rerum principium esse antea jam ratio nos docuisset? Dicendum igitur esset, si summum Deum esse quolibet ratiocinandi modo persuasum haberemus, tum etiam summum in eo bonum confitendum nobis esse, ne, ut ipse Boëthius dicit, in infinitum ratio procedat, quod ad argumentum cosmologicum propius accedere videtur. Hoc enim argumentum ex fortuitarum

causarum in hac rerum natura sive mundo adspectabili infinita continuatione procedens, quam ratio humana cogitare nequit sed certis finibus circumscriptam esse postulat summam atque necessariam omnium rerum causam esse concludit. Simili quadam ratione Boëthius ex imperfecti in quovis rerum genere boni continuo ordine, quem certo modo determinatum esse ratio convincit humana summum aliquid et perfectissimum bonum exsistere et summum Deum summi boni plenissimum esse demonstrare studet. Quodsi porro Deum hoc summum bonum, quo plenus esse perhibetur nec extrinsecus accepisse nec ita naturaliter habere, ut a sui ipsius natura sive substantia diversum sit ostendit, id quoque verissime conclusum est, si summi atque perfectissimi Dei notio jam praesumitur. Itaque et Augustinum et Boëthium haud contemnenda quidem argumenti ontologici quasi elementa neque tamen perfectam firmissimamque ejus formam in medio proposuisse judicandum nobis erit.

CAPUT II.

Theologi Scholastici imprimis Anselmus Cantuariensis.

Jam quum peractis tot tantisque multorum saeculorum certaminibus magnificum illud et admirabile ecclesiae aedificium quod medio aevo conspicimus exstructum esset, non amplius theologi quid fide retinendum sit quaerere debebant; hoc enim ecclesiae auctoritas quam potuit firmissime proposuerat et quod attinet ad praecipua fidei christianae dogmata ex. gr. capita de trinitate, de christologia et de anthropologia christiana viam qua theologorum studia procedere deberent stricte praeceperat. Neque tamen theologis nihil amplius negotii circa sacram doctrinam reliquum erat, imo praecipua iis opera in eo collocanda

erat, ut ecclesiae dogmata et illa potissimum, quae ut doctrin de Deo, de revelatione, de anima humana ejusque immortalitate ad theologiam simul et philosophiam pertinebant, cum ratione humana conciliarent id est et argumentis firmarent et amplius explicarent et accuratius definirent. Quae omnia eo potissimum tempore facta sunt, quo litterarum scholae quos Carolus Magnus ad idoneos, quibus popolus indigebat paedagogos clericosque instituendos aperuerat seminaria potius et quasi subsidia recentis doctrinae philosophicae et theologicae evaserant. Unde haec medii aevi periodus, quae fere ab undecimo usque ad tertium decimum saeculum pertinet rectissime scholastica appellatur, quae tamen significatio saepe jam a viris doctis sinistre accepta est. Nam etsi negare non possumus scholasticos illos theologos nimiam saepe in dirimendis et per partes explicandis notionibus dogmatisque subtilitatem adhibuisse, per multas ambages omnes in universo et singulas doctrinae partes pertentasse et minuta haud raro, ut omnes quae in medium proferri poterant quaestiones dubitationesque tollerent, diligentia usos esse, tamen non id tantum quod in illorum virorum eruditione minus comprobari potest considerandum nobis esse videtur. Altera ex parte magnum ingenii acumen, accurata omnium quaestionum explicatio, praeclara in proferendis firmandisque argumentis diligentia, hoc omne, inquam, summa admiratione nostra dignum est, sicut et theologiae christianae multum sane profuit, quum variis modis et ingenium acueret et rationali dogmatum ecclesiasticorum considerationi viam patefaceret. Facile hinc apparet ejusmodi tempus ad excolenda quae pro Dei exsistentia proponi poterant argumenta maxime idoneum fuisse. Accedit quod tum praesertim quaestio illa ab antiquissimis jam philosophis disceptata de Realismo scilicet et Nominalismo denuo accuratius tractabatur. Quaerebatur, ut paucis verbis rem adtingamus, utrum notiones universales vel generales vel speciales cum ipsa rerum et visibilium et intelligibilium essentia convenirent, sive ut Plato censuerat nulla adhuc rerum observatione et animi perceptione antecedente naturaliter

in mente humana praeformatae (notiones universales universalia ante res), sive ut Aristoteles ex rerum quibus ipsae insunt observatione designatae fuerint (universalia in rebus, ex rebus, post res); an ne visibilium quidem nedum intelligibilium rerum essentiam re vera continerent sed signa potius vel nomina quaedam ab intellectu humano ad res percipiendas formata essent. Illa sententia Realismus haec Nominalismus vocatur. Itaque qui Realismo addicti erant in elucubrandis illis pro Dei exsistentia argumentis diligenter operam navabant, quia rationem humanam res invisibiles et intelligendo tantum cognoscendas percipere posse confidebant; qui vero Nominalismum sequebantur ex sententiae suae principiis Dei exsistentiam ullis humanae rationis argumentis demonstari posse negabant demonstrationumque quae proponebantur infirmitatem et vitia magna saepe sagacitate patefaciebant.

Jam vero quod attinet ad argumentum ontologicum rarius illis temporibus quam cetera physico-theologicum, et cosmologicum et ethicum excolebatur. Tamen unus praecipue vir doctus exstitit, qui ad firmandum argumentum ontologicum omne ingenii acumen adhibebat eamque demonstrationem cujus ab Augustino et Boëthio initia proposita erant ad magnum perfectionis gradum excolebat. Is erat Anselmus celeberrimus qui natus anno 1033 Augustae praetoriae in oppido Galliae Transpadanae ab anno 1063 usque ad annum 1093 prior et abbas monasterii cujusdam in Normandia provincia Galliae cui nomen Bec erat et inde usque ad annum 1109 quo diem supremum obiit archiepiscopus Cantuariensis fuit. Cujus argumentum nunc amplius considerandum nobis erit. Propositum est in ejus libro, qui inscribitur: Proslogium [1]) ubi capite II III et IV haec fere verba legimus: Domine quia das fidei intellectum, da mihi, ut quantum scis expedire intelligam quia es sicut credimus

---

1) Anselmi Cantuariensis: Opera omnia ed. Gerberon. Paris 1721 init.

et hoc es quod credimus. Et quidem credimus te esse aliquid quo nihil majus cogitari possit. An ergo non est aliqua talis natura quia dixit insipiens in corde suo: non est Deus (Ps. XIV 1. LIII 2.)? Sed certe idem ipse insipiens, quum audit hoc ipsum quod dico: aliquid quo majus nihil cogitari potest, intelligit quod audit et quod intelligit in intellectu ejus est, etiamsi non intelligat illud esse. Aliud enim est, rem esse in intellectu aliud intelligere rem esse. Nam qnum pictor praecogitat quae facturus est, habet quidem in intellectu sed nondum esse intelligit quod nondum fecit. Quum vero jam pinxit, et habet in intellectu et intelligit esse quod jam fecit. Convincitur ergo etiam insipiens esse vel in intellectu aliquid quo nihil majus cogitari potest, quia hoc quum audit intelligit, et quidquid intelligitur in intellectu est. Et certe id quo majus cogitari nequit non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in intellectu solo est, potest cogitari esse et in re quod majus est. Si ergo id quo majus cogitari non potest est in solo intellectu, id ipsum quo majus cogitari non potest est quo majus cogitari potest, sed certe hoc esse non potest. Exsistit ergo proculdubio aliquid quo majus cogitari non valet et in intellectu et in re. Quod utique sic vere est ut nec cogitari possit non esse. Nam potest cogitari esse aliquid quod non possit cogitari non esse, quod majus est quam quod non esse cogitari potest. Quare si id quo majus cogitari nequit potest cogitari non esse id ipsum quo majus cogitari nequit non est id quo majus cogitari nequit, quod convenire non potest. Sic ergo vere est aliquid quo majus cogitari non potest ut nec cogitari possit non esse et hoc es tu Domine, Deus noster. Sic ergo vere es, Domine Deus meus, ut nec cogitari possis non esse, et merito. Si enim aliqua mens possit cogitare aliquid melius te ascenderet creatura supra creatorem et judicaret de creatore suo quod

valde est absurdum. Et quidem quidquid est aliud praeter solum te potest cogitari non esse. Solus igitur verissime omnium et ideo maxime omnium habes esse, quia quidquid aliud est non sic vere est et ideo minus habet esse. Cur itaque dixit insipiens in corde suo non est Deus, quum tam in promptu sit rationali menti, te maxime omnium esse? Cur nisi quia stultus et insipiens?

Quod hoc argumentum Anselmianum sibi velit, ad hoc attente animus nobis advertendus est, praesertim quum a viris doctis interdum minus recte perceptum esse videatur, ut a Billrothio, philosopho et theologo quondam insigni eruditione praedito, qui hunc argumenti finem esse existimat, ut demonstret, notionem ejus quo majus cogitari nequeat, siquidem eam omnino cogitare quis velit ita debere cogitari, ut non esse ne cogitari quidem possit [2]). Sed procedit potius argumentum a notione entis perfectissimi, quod non in intellectu solo sed re vera esse debere Anselmus probare studet. Si quidem Deus, de qua re omnes consentiunt, ens perfectissimum sive quo majus cogitari nequit est, non in intellectu solo sed re vera etiam exsistat necesse est.

Sed jam eo tempore quo Anselmus hoc argumentum proposuit, id quod demonstrandum erat non satis firmiter et sine omni dubio ea ratione probari bene inielligebant viri docti praesertim, de qua re supra jam locuti sumus, qui Nominalismo addicti erant. Inter quos Gaunilo quidam monacus Marmutinensis in opusculo suo celeberrimo quod inscriptum est: Liber pro insipiente adversus Anselmi in Proslogio ratiocinationem [3]) Anselmi demonstrationem sagacissime impugnabat. Nam quum ille perceptionem entis perfectissimi sive ejus quo majus cogitari nequeat ita necessariam esse contenderet, ut non esse ne cogitari quidem possit, hic recte ei objecit: Certissime primitus aliquo probandum est argumento aliquam

2) cf. Billrothii: Dissertatio historico-critica de Anselmi Cantuariensis Proslogio et Monologio. Lipsiae 1832.

3) Anselmi: Opera ed. Gerberon. Paris 1721 p. 35 sqq.

majorem et meliorem omnium quae sunt esse naturam, ut ex hoc alia jam possimus omnia probare, quibus necesse est illud, quod majus et melius est omnibus non carere. Nam si non potest cogitari non esse Deus, cur contra negantem et dubitantem, quod sit aliqua talis natura tota haec disputatio assumta est? Quum autem dicitur, quod summa res ista non esse nequeat cogitari melius diceretur quod non esse aut etiam posse non esse nequeat intelligi. Nam falsa nequeunt intelligi quae possunt utique eo modo cogitari, quo Deum non esse insipiens cogitavit. Respondere forsitan potest, quod hoc jam esse dicitur in intellectu meo non ob aliud nisi quia id quod dicitur intelligo. Sed nonne et quaecunque falsa et nullo modo in se ipsis exsistentia in intellectu habere dici possum, quum ea dicente aliquo quaecumque ille diceret intelligerem? Nisi forte tale illud esse constat, ut non eodem modo quo falsa quaecunque vel dubia haberi possit in cogitatione et ideo non dicor illud auditum cogitare vel in cogitatione habere sed intelligere vel in intellectu habere, quia scilicet hoc non possum aliter cogitare quam intelligendo id est scientia comprehendendo re ipsa illud exsistere. Non hic erit aliud idemque tempore praecedens habere rem in intellectu et aliud idemque tempore subsequens intelligere rem esse, ut fit de pictura, quae prius est in animo pictorum deinde in opere. Huc accedit aliud quia scilicet illud omnibus quae cogitari possunt majus tam ego secundum rem vel ex specie mihi vel ex genere notam cogitare auditum vel in intellectu habere non possum quam nec ipsum Deum, quem utique ad hoc ipsum respiciens etiam non esse cogitare possum. Nec enim aut rem ipsam quae Deus est novi aut ipsam conjicere possum ex alia simili, quandoquidem et tu talem asseris illam, ut esse non possit simile quidquam. Nec sic igitur, ut haberem falsum istud in intellectu vel in cogitatione, habere possum llud, si audio dici Deus aut aliquid omnibus majus,

quum, quando illud secundum rem veram mihique notam cogitare possum, hoc omnino nequeam nisi tantum secundum vocem, secundum quam vix aut nunquam potest cogitari verum. Si quidem quum ita cogitatur non tam ipsa vox, quae est utique vera, hoc est litterarum sonus vel syllabarum quam vocis auditae significatio cogitatur, sed non ita ut ab eo qui novit quid ea soleat voce significari, a quo scilicet cogitatur secundum rem vel in sola cogitatione vera, verum ut ab eo qui illud non novit et solummodo cogitat secundum animi motum illius auditu vocis effectum significationemque perceptae vocis conantem effingere sibi, quod mirum est si unquam secundum rei veritatem potuerit. Si porro Anselmus conclusionem proposuerat: ex eo quod Deum, hoc est quo majus cogitari nequit in cogitatione vel in intellectu habeo sequitur quod et re vera est neque hanc Gaunilo ullo modo concedebat. Nam etiamsi, inquit, notionem Dei in cogitatione haberem et quid hoc nomine significetur satis distincte intelligere possem, non tamen inde sequeretur quod Deus re vera sit. Simili enim ratione, si de homine plane mihi ignoto quem exsistat necne nescirem audiam ex communi generis humani notione eum mihi effingere conabor; sed nequaquam ex eo quod talem hominem in cogitatione vel in intellectu haberem sequeretur quod ille re vera exsistat, si forte is qui de illo homine mihi dicit mentiretur. Sed ne tam distincte quidem Dei notionem effingere cogitatione possum quam alius cujusvis rei, quandoquidem ut supra jam dictum est nulla res ejus similis cogitari possit. Si tertio Anselmus dixerat: Deum quia majus et melius omnibus sit non in intellectu solo sed etiam re vera esse huic argumentationi Gaunilo celeberrimum illud exemplum opposuit: Si quis mihi insulam oceani omnes terras fertilitate sua vincentem describere velit, quae difficultate imo impossibilitate inveniendi perdita appellaretur et hac de insula

plura etiam et magnificentiora quam quae de beatorum insula fabulis circumferuntur, praedicet, haec omnia cogitari sine ulla difficultate possunt. Sed si quis diceret, quia ista insula omnibus aliis terris melior sit et verbis descriptam facile quis intelligat, dubitari idcirco non posse, quin non in intellectu solum sed etiam re vera sit, is per jocum mihi loqui videretur. Nec minus stulta illa demonstratio tua, Deum quia majus et melius omnibus sit non in intellectu solum sed etiam re vera exsistere mihi esse videtur. Inest nempe quaternio terminorum, siquidem summa illa quae tantum cogitatur perfectio cum eo quod omnibus rebus etiam vere exsistentibus perfectius est commutatur. Nam qui esse dicit hoc quod omnibus majus, aliter non erit omnibus majus, non satis attendit cui loquatur; ego enim nondum dico, imo etiam nego vel dubito, ulla re vera esse majus illud, nec aliud ei esse concedo (si dicendum est esse) quum sesundum vocem tantum auditam rem prorsus ignotam sibi conatur animus effingere. Prius enim certum mihi necesse est fiat, re vera esse alicubi majus ipsum et tum demum ex eo quod majus est omnibus in se ipse quoque exsistere non erit ambiguum.

Hanc profecto sagacissimam Gaunilonis contradictionem ipse Anselmus ita non contemnendam esse existimavit, ut argumentum suum quam maxima poterat vi defendere studeret. Edidit igitur librum qui inscriptus est: Liber apologeticus contra Gaunilonem respondentem pro insipiente[4]), ad quem adhuc paullum temporis animus nobis advertendus erit. Nam hoc fere modo Anselmus disputationem suam proponit: Si quo majus cogitari non potest non cogitatur vel intelligitur nec est in intellectu vel cogitatione: profecto Deus aut non est quo majus cogitari non possit aut non intelligitur vel cogitatur nec est in intellectu vel cogitatione. Quod

4) cf. Anselmi: Opera ed. Gerberon. Paris 1721 p. 37 sqq.

quam falsum sit fide et conscientia tua pro firmissimo utor argumento. Procul dubio, quidquid alicubi aut aliquando non est, etiamsi est ulicubi aut aliquando potest tamen cogitari nunquam et nusquam esse, sicut non est alicubi aut aliquando. Nam quod heri non fuit et hodie est, sicut heri non fuisse intelligitur ita nunquam esse subintelligi potest, et quod hic non est et alibi est, sicut non est hic, ita potest intelligi nusquam esse. Similiter cujus partes singulae non sunt ubi aut quando sunt aliae partes ejus, omnes partes et ideo ipsum totum possunt cogitari nunquam et nusquam esse. At quo majus cogitari nequit, si est non potest cogitari non esse, alioquin si est non est quo majus cogitari non potest, quod non convenit. Sed tale est, inquis, ac si quis insulam oceani omnes terras sua fertilitate vincentem, quae difficultate imo impossibilitate inveniendi quod non est perdita nominatur, dicat idcirco non posse dubitari vere esse in re, quia verbis descriptam facile quis intelligit. Fidens loquor, quia si quis invenerit mihi aliquid aut re ipsa aut cogitatione exsistens, praeter quo majus cogitari non possit, cui aptare valeat connexionem hujus meae argumentationis, inveniam et dabo illi perditam insulam amplius non perdendam. Palam autem jam videtur, quo non valet cogitari majus non posse cogitari non esse, quod tam certa ratione veritatis exsistit, aliter enim nullatenus exsisteret. Omnia possunt cogitari non esse praeter id quod summe est. Illa quippe omnia et sola possunt cogitari non esse, quae initium aut finem, aut partium habent conjunctionem et sicut jam dixi quidquid alicubi aut aliquando totum non est. Illud vero solum non potest cogitari non esse, in quo nec initium nec finem nec partium conjunctionem et quod non nisi semper et ubique totum ulla invenit ratio. Si quis sic distinguat intelliget, nihil quamdiu esse scitur posse cogitari non esse et quidquid est praeter id

quo majus cogitari nequit etiam quum scitur esse posse cogitari non esse. Sic igitur et proprium est Deo non posse cogitari non esse et tamen multa non possunt quamdiu sunt cogitari non esse. Quoniam namque omne minus bonum in tantum simile est majori bono, in quantum est bonum, patet cuilibet rationali menti quia de minoribus bonis ad majora bona conscendendo ex his quibus aliquid cogitari potest majus multum possumus conjicere illud quo nihil potest cogitari majus. Quis enim v. g. vel hoc non potest, etiamsi non credat in re esse quod cogitat, scilicet si bonum aliquid est quod initium et finem habet multo melius esse bonum, quod licet incipiat non tamen desinit et sicut istud illo melius est, ita isto esse melius illud, quod nec initium nec finem habet? Quisquis igitur negat, aliquid esse quo majus nequeat cogitari utique intelligit et cogitat negationem quam facit, quam negationem intelligere et cogitare non potest sine partibus ejus; pars autem ejus est quo majus cogitari non potest. Quicunque igitur hoc negat, intelligit et cogitat, quo majus cogitari nequit. Palam autem est, quia similiter potest cogitari quod non potest non esse, majus vero cogitat qui hoc cogitat, quam qui cogitat quod possit non esse. Quum ergo cogitatur, quo majus non possit cogitari, si cogitatur quod possit non esse, non cogitatur quo non possit cogitari majus; sed nequit idem simul cogitari et non cogitari. Quare qui cogitat quo majus non possit cogitari, non cogitat quod possit, sed quod non possit non esse. Quapropter necesse est esse quod cogitat, quia quiquid non esse potest non est quod cogitat. Puto quia monstravi, me non infirma sed satis necessaria argumentatione probasse in praefato libello re ipsa exsistere aliquid quo majus cogitari non possit nec eam alicujus objectionis infirmari firmitate. Tantam enim vim hujus probationis in se continet significatio, ut hoc ipsum quod dicitur ex necessitate eo ipso quod intelligitur vel cogitatur et re vera probetur exsistere, et id ipsum esse quod

de divina substantia oportet credere. Credimus namque de divina substantia, quod absolute cogitari potest melius esse quam non esse.

Ex hac igitur demonstratione clarius adhuc et distinctius quam ex eo, quod in Proslogio propositum est argumento cognoscimus, quid probare Anselmus studeat. Procedit a notione Dei, quo majus nihil cogitari potest, hoc est entis perfectissimi. Jam quum majus aliquid et melius sit non cogitari posse non esse, quam non esse cogitari posse, ens perfectissimum si vere intelligitur non in cogitatione vel intellectu sed re vera esse oportet. Vel ita conclusio proponi posset: perfectius est id quod re vera, quam quod in cogitatione vel intellectu solo exsistit; Deus re vera ens perfectissimum est: ergo re vera est, imo non esse ne cogitari quidem potest. Et profecto, firmissimum et invincibile hoc argumentum esset, si prius concessum esset, realem ut ita loquamur exsistentiam sicut v. g. omnipotentiam et omniscientiam esse perfectionem quandam, qua ens summe perfectum carere non posset. Quod adversarii negabant dicentes, ideam perfectissimi cujusdam quo majus cogitari nequeat in mente humana esse et tamen qui eam intelligat negare vel dubitare posse, num ens tale re vera exsistat. Et sane si numinis divini exsistentia et insita ejus in mente humana cogitatio unum idemque esset recte argumentum procederet. Quum vero fides christiana, ad quam confirmandam Anselmi demonstratio assumta est, postulat ut confiteamur, Deum non solum a mente humana cogitari sed etiam extra eam re vera mentem sui ipsius consciam esse, alia quadam ratione probandum esse videtur, ens perfectissimum hac quasi reali exsistentia carere non posse, id quod Anselmus sagacissimo quidem argumento suo nequaquam ab omni dubitatione defendit. Reliqui theologi scholastici etiam qui Realismo addicti erant argumentum ontologicum et rarius proposuerunt et minoris momenti esse censuerunt, nec tamen plane omisserunt. Duorum praecipue virorum mentionem hic facimus. Quorum alter Thomas Aquinas in libro suo celeberrimo qui Summa totius theologiae inscri-

bitur [8]) ita fere loquitur: An Deus sit? Utrum Deum esse sit perse notum? Multa sunt, quae data ipsius rei notione simul certa sunt. Ut enim intellecto quid sit totum et quid pars statim intelligitur, totum parte sua majus esse, ita intellecto quid significet hoc nomen Deus statim habetur quod Deus est; significatur enim hoc nomine id quo majus significari non potest; majus autem est quod est in re et in intellectu quam quod est in intellectu tantum, unde intellecto hoc nomine quum Deus statim sit in intellectu sequitur etiam quod sit in re. Similiter quoque aliquam esse veritatem per se certum est. Nam qui negat, aliquam esse veritatem eo ipso concedit, quod aliqua veritas sit, quia si nulla veritas datur, hoc ipsum quod veritas nulla est verum est. Si igitur aliquod verum est veritas quoque sit necesse est et quum Deus ipse sit veritas (Ev. Jo. XIV 6) ergo Deum esse per se certum est. Sed id tantum per se certum est, cujus contrarium ne cogitari quidem potest; Deum vero non esse (Ps. LIII 2) cogitari sane potest. Dato enim, quod quilibet intelligat hoc nomine Deus significari hoc quod dicitur, scilicet id quo majus cogitari non potest, non propter hoc sequitur quod intelligat id quod significatur per nomen esse in rerum natura sed in apprehensione intellectus tantum. Nec potest argui quod sit in re, nisi daretur quod sit in re aliquid quo majus significari non potest, quod non est datum a ponentibus Deum non esse. Distinguendum igitur inter ea quae per se et quae quoad nos certa sunt. Deus suum esse est; sed quia nescimus quid sit Deus, illud dictum quoad nos non per se certum est, sed per id quod magis certum est quoad nos et minus certum quoad naturam probandum est, nempe per effectus. Est enim duplex demonstrationis ratio, altera per causam sive per priora simpliciter altera per effectus hoc est quae sunt priora quoad nos. Similiter Duns Scotus: omnis, inquit, et sola illa propositio per

---

8) cf. Thomas Aquinas: Summa etc. Pars I quaest II artic I II.

se nota, quae ex terminis sic conceptis ut sunt ejus termini nata est habet evidentem complexionem veritatis; de ente infinito non potest demonstrari propter quid, sed quoad nos propositio est demonstrabilis demonstratione quia ex creaturis. Ipse itaque a contingentibus rebus causatis ad causam efficientem procedens cosmologico utitur argumento. Attamen sagacissimae ejus demonstrationi ontologicum inest argumentum, quum ita concludit: Effectivum nullam imperfectionem ponit necessario ergo effectivum independens potest inesse alicui naturae et illa est simpliciter prima, ergo effectivitas simpliciter prima est possibilis et hoc sufficit, quia inferius concludetur ex hoc, quod tale efficiens primum si est possibile est in re. Primum effectivum est in actu exsistens et aliqua natura actu exsistens sic est effectiva. Probatio: cujus rationi repugnat simpliciter esse ab aliquo, illud si potest esse potest esse a se; sed rationi primi effectivi repugnat esse ab aliquo et ipsum potest esse; ergo effectivum simpliciter primum potest esse a se; ergo est a se. Quia quod non est a se, non potest esse a se, quia tunc non ens produceret aliquid ad esse quod est impossibile, et adhuc idem causaret se et ita non erit causabile omnino. Illud ultimum scilicet de exsistentia primi effectivi aliter declaratur: quia inconveniens est universo deesse supremum gradum possibilem in essendo.

Quod ad reliquos medii aevi theologos attinet, omnes cosmologicum aut physicotheologicum aut ethicum argumentum ex coluerunt aut interdum etiam cosmologicum et physicotheologicum conjunxerunt.

CAPUT III.

Cartesii argumentum.

Jam accedimus ad ea tempora, quibus sincera evangelii doctrina a viris summe venerandis Luthero inquam et Zuinglio et Calvino et Melanthone eorumque sociis a traditionibus humanis liberata et denuo illustrata et mox, ut est insita vis veritatis in omnes terras propagata erat. Et conditores quidem ecclesiae nostrae hac in re omnem operam navare debebant, ut purum quod recuperaverant evangelium adversus omnes adversariorum errores acerrimosque saepe impetus defenderent et in animis hominum firmarent. Primi autem renovatae ecclesiae theologi id praecipue studebant, ut fundamenta quasi aedificii, quod reformatores conderant magna sagacitate et veluti scholastica interdum subtilitate explicarent. Itaque ea potissimum dogmata quae in controversia versabantur ut e. g. de verbo divino et traditionibus humanis, de fide et operibus, de peccato originali et libero arbitrio, de sacramentis de potestate ecclesiae quaeque alia cum his cohaerebant a principiis tractabantur, sed non modo eodem illa, de quibus utraque ecclesia cum altera consentiebat ut v. g. de Deo ejusque essentia. Hinc fiebat, id quod ad nostram quaestionem pertinet, ut vetera illa ad Dei exsistentiam probandam argumenta prioribus sane ecclesiae nostrae temporibus nec iterum recenserentur nec amplius excolerentur. Sic Melanthon in celeberrimo suo libro, qui Loci theologici inscribitur [1]: Proinde non est, inquit, cur multum operae ponamus in locis illis supremis de Deo, de unitate et trinitate Dei, de mysterio creationis, de modo incarnationis.

1) cf. Melanthon: Loci theologici ed. Augusti p. 8 sqq.

Subtilitates scilicet theologorum scholasticorum, quibus vera et salvifica fides non eget effugiendae sunt. Doctrina namque ecclesiae non ex demonstrationibus sumitur sed ex dictis, quae Deus certis et illustribus testimoniis tradidit generi humano, per quae immensa bonitate se et suam voluntatem patefecit. Non quasi Deus omnino hominibus incomprehensibilis esset. Sed postquam mens confirmata est vera et recta sententia de Deo, tunc etiam utile et jucundum erit aspicere opificium mundi et in eo vestigia Dei quaerere et demonstrationes colligere, quae testantur, hunc mundum non exstitisse casu nec volvi casu, sed esse Deum, mentem aeternam conditricem rerum; ideo enim tota natura condita est, ut Deum monstret. Quarum demonstrationum plures, quae ad argumentum cosmologicum et physicotheologicum respiciunt ipse postea proponit. Et Calvinus non mentem humanam naturali instinctu omnino Deum cognoscere posse, sed eam cognitionem sufficientem esse negat. Dei notitiam, inquit, intelligo, qua non modo concipimus, aliquem esse Deum, sed etiam tenemus quod de eo scire nostra refert. Frigidis tantum speculationibus ludunt, quibus in hac quaestione insistere propositum est, quid sit Deus, quum intersit nostra potius, qualis sit et quid ejus naturae conveniat scire [2]). Hanc sententiam posteriores theologi ita restringebant, ut quamvis naturalem Dei cognitionem non utique negarent imo saepius argumenta pro Dei exsistentia proponerent, rationem tamen, lumen naturae obcaecatam penitus esse neque ex se ipsa eam Dei cognitionem, quae aeternae salutis participes homines reddat adipisci posse aestimarent.

Altera tamen ex parte nostra ecclesia magnum momentum ad excolenda illa pro Dei exsistentia argumenta attulit, quum philosophiam a dogmatorum ecclesiasticorum vinculis liberaret et procedendi sine ullo impedimento facultatem ei daret. Namque philosophi scholastici id unum sibi reliquum esse videbant, ut illa dogmata quae fidelibus ab ecclesia credenda tradita erant,

---

2) cf. Calvini: Institutio christianae religionis lib. I cap. II 1.

menti humanae commendarent et subtilissimis haud raro ratiocinationibus firmarent. Ratione quidem ad intelligendam veritatem aeternam uti permissum iis erat; sed quae aeterna veritas sit jam dudum ecclesia catholica fidelibus praeceperat eaque praecepta firmiter et inconcusse servare omnes ecclesiae addicti jussi erant. Evangelica vero ecclesia a principio hoc sibi proposuerat, ut de aeterna veritate quasi denuo rationem redderet nec quidquam sine libera sinceraque perscrutatione verum admitteret. Certe non negabimus hoc judicium mox, quum ecclesia nostra contra adversarios munita esset, derelictum et quasi obrutum esse; at nemo sane harum rerum peritus dubitare potest, quin haec libertas verum et proprium evangelicae ecclesiae fundamentum fuerit, quae nihil aliud agebat, quam ut animos hominum de iis quae vera et ad salutem aeternam necessaria sunt quam firmissime fieri poterat persuaderet. Scholastici theologi, ut Anselmus praesertim, Christianum per fidem, dicebant, ad intellectum procedere debere, non per intellectum ad fidem accedere, aut si intelligere non valet a fide recedere. Lutherus ejusque socii nisi per sacram scripturam aut alias claras invincibilesque rationes superarentur ne minimum quidem adversariis concedere volebant. Itaque nostra potissimum ecclesia integram philosophis viam ad perscrutandas summas veritates aperuit, qua mox viri docti utebantur, ut philosophica illa dogmata de Deo scilicet ejusque exsistentia et essentia, de mundo rerumque visibilium natura, de hominis anima rationis ope illustrarent. Ita fiebat ut et argumentum ontologicum denuo tractaretur et excoleretur.

Primus philosophus, qui huic argumento operam navabat erat Renatus Cartesius (René Descartes), qui natus Hagae Turonum anno 1596 ex vetere nobilissimaque gente catholicae fidei addicta prima juventute ut eo tempore mos erat a Jesuitis educatus insatiabili scientiae cupiditate in varia primum litterarum studia incumbebat, tum per nimium ardorem quasi exhaustus in Batavorum deinde in Bavariorum exercitu militiam capessebat. Inde ad studium litterarum rursus incipiendum in

Galliam rediit sed a clericis atheismi ut dicebant causa persecutus mox anno 1624 in Bataviam se contulit, ubi per viginti quinque annos vixit plurimisque et celeberrimis scriptis quum mathematicam tum philosophicam artem excoluit. Tandem a Christina Scandinaviae regina invitatus ad regiam profectus ibique paucis mensibus post anno 1650 mortuus est. Hic vir quamvis ecclesiae nostrae non addictus, liberaliore tamen ejus ingenio adjutus primus philosophiae reformator exstitit eamque a dogmatum servitute liberavit. Incipiebat namque a dubitatione omnium, quae vera adhuc habuerat et procedebat inde ad certam aliquam veritatem cognoscendam, quam in mente humana sui ipsius conscia invenisse sibi videbatur et ab hoc deinde principio ad Dei exsistentiam probandam adscendebat, quod argumentum sicut in ejus libro, qui inscriptus est: Meditationes de prima philosophia proponitur [3]) nunc amplius nobis considerandum est. Incipit igitur:

I De iis quae in dubium revocari possunt. — Nempe, inquit, quidquid hactenus ut maxime verum admisi vel a sensibus vel per sensus accepi, hos autem interdum fallere deprehendi et prudentiae est nunquam iis plane confidere quae semel nos deceperunt. Age ergo, somniemus nec particularia ista vera sint, nos oculos aperire, caput movere, manus extendere, nec forte etiam nos habere tales manus nec tale corpus totum, tamen profecto fatendum est, visa per quietem esse veluti quasdam pictas imagines, quae non nisi ad similitudinem rerum verarum fingi potuerunt, ideoque saltem generalia haec, oculos, caput, manus, totumque corpus, res quasdam non imaginarias sed veras exsistere. Nec dispari ratione, quamvis etiam generalia ista, oculi, caput, manus et similia imaginaria esse possunt, adhuc magis simplicia et universalia vera esse

---

3) cf. Cartesii: Opera philosophica Amstelodami 1650, ubi eadem brevius tracta sunt in libro, qui inscriptus est: Principia philosophiae I cap. XIII—XXI.

fatendum est, ex quibus tamquam coloribus veris omnes istae seu verae seu falsae quae in cogitatione nostra sunt imagines effinguntur. Cujus generis esse videntur natura corporea in genere ejusque extensio, item figura rerum extensarum, item quantitas sive earundem magnitudo et numerus, item locus in quo exsistant tempusque per quod durent et similia. Verumtamen infixa est meae menti vetus opinio Deum esse qui potest omnia et a quo talis qualis exsisto sum creatus. Unde autem scio, illum non fecisse, ut nulla plane sit terra, nullum coelum, nulla res extensa nulla figura; nulla magnitudo, nullus locus et tamen non aliter haec omnia quam nunc mihi videantur exsistere? Essent vero fortasse, qui tam potentem aliquem Deum mallent negare, quam res alias omnes credere esse incertas; sed iis non repugnemus totumque hoc de Deo demus esse fictitium, ut seu fato seu casu, seu continuata rerum serie seu quovis alio modo me ad id quod sum pervenisse supponant; quoniam falli et errare imperfectio quaedam esse videtur, quo minus potentem originis meae authorem assignabunt, eo probabilius erit, me tam imperfectum esse, ut semper fallar. Quibus sane argumentis non habeo quid respondeam, sed tandem cogor fateri nihil esse ex iis quae olim vera putabam, de quo non liceat dubitare idque non per inconsiderantiam vel levitatem, sed propter validas et meditatas rationes ideoqne etiam ab iisdem quam ab aperte falsis accurate deinceps assensionem esse cohibendam, si quid certi velim invenire. Supponam igitur, non optimum Deum, fontem veritatis, sed genium aliquem malignum eundemque summe potentem et callidum omnem suam industriam in eo posuisse ut me falleret; putabo coelum, aërem, terram, colores, figuras, sonos cunctaque externa nihil aliud esse, quam ludificationes somniorum, quibus insidias meae credulitati tetendit; considerabo me ipsum tamquam manus non habentem, non oculos, non carnem, non sanguinem, non aliquem sensum, sed haec omnia habere me falso opinantem; manebo obstinate in hac medi-

tatione defixus atque ita, siquidem non in potestate mea sit aliquid veri cognoscere, at certe hoc quod in me est, ne falsis assentiar nec mihi quidquam iste deceptor quantumvis potens, quantumvis callidus posset imponere obfirmata mente cavebo. Progreditur inde ad quaestionem

II De natura mentis humanae quod ipsa sit notior quam corpus. Nihil nisi punctum petebat Archimedes, quod esset firmum et immobile, ut integram terram loco dimoveret; magna quoque speranda sunt, si vel minimum invenero quod certum sit et inconcussum. Numquid ergo saltem ego aliquid sum? Sed jam negavi, me habere ullos sensus et ullum corpus; haereo tamen, nam quid inde? sumne ita corpori sensibusque alligatus, ut sine illis esse non possim? Sed mihi persuasi, nihil plane esse in mundo, nullum caelum, nullam terram, nullas mentes, nulla corpora; nonne igitur me non esse? Imo certe ego eram, si quid mihi persuasi. Sed est deceptor nescio quis summe potens summe callidus qui de industria me semper fallit. Haud dubie igitur ego etiam sum, si me fallit, et fallat quantum potest, nunquam tamen efficiet, ut nihil sim, quamdiu me aliquid esse cogitabo, adeo ut omnibus satis superque pensitatis denique statuendum sit, hoc pronunciatum: Ego sum, ego exsisto, quoties a me profertur vel mente concipitur esse verum. Nondum vero satis intelligo, quisnam sum ego ille, qui jam necessario sum. Sed hic potius attendam, quid sponte et natura duce cogitationi meae antehac occurrebat, quoties quid essem considerabam; nempe occurrebat primo, me habere vultum, manus, brachia, totamque hanc membrorum machinam, qualis etiam in cadavere cernitur et quam corporis nomine designabam; occurrebat praeterea, me nutriri, incedere, sentire et cogitare, quas quidem actiones ad animam referebam. Quid autem nunc, ubi suppono, deceptorem aliquem potentissimum et, si fas est dicere, malignum data opera in omnibus quantum potuit me delusisse, possumne affirmare, me habere vel minimum quid ex iis omnibus,

quae jam dixi ad naturam corporis pertinere? attendo, cogito, revolvo, nihil occurrit, fatigor eadem frustra repetere. Quid vero ex his, quae animae tribuebam? nutriri vel incedere? quandoquidem jam corpus non habeo haec quoque nihil nisi figmenta sunt; sentire? nempe etiam hoc non fit sine corpore et permulta visus sum sentire in somniis, quae deinde animadverti me non sensisse; cogitare? hic invenio, cogitatio est, haec sola a me divelli nequit; ego sum, ego exsisto, certum est. Quam diu autem? nempe quam diu cogito; nam forte etiam fieri posset, si cessarem ab omni cogitatione, ut illico totus esse desinerem; nihil nunc admitto, nisi quod necessario sit verum; sum igitur praecise tantum res cogitans. Atque ecce tandem sum reversus eo quo volebam; nam quum mihi nunc notum sit, ipsamet corpora non proprie a sensibus vel ab imaginandi facultate, sed a solo intellectu percipi, aperte cognosco, nihil facilius aut evidentius mea mente posse a me percipi. Quibus explicatis viam sibi aperuerat ad demonstrationem

III De Deo quod exsistat. Et certe quum nullam occasionem habeam existimandi, aliquem Deum esse deceptorem nec quidem satis adhuc sciam, utrum sit aliquis Deus, valde tenuis et ut ita loquar metaphysica est illa dubitandi ratio, quae tantum ex ea opinione dependet. Ut autem etiam illa tollatur, quamprimum occurret occasio examinare debeo, an sit Deus et si sit, an esse possit deceptor; hac enim ignorata re non videor de ulla alia plane certus esse unquam posse. Nunc autem ordo videtur exigere, ut prius omnes meas cogitationes in certa genera distribuam et in quibusnam ex his veritas aut falsitas proprie consistat inquiram. Quaedam ex his tamquam rerum imagines sunt quibus solis proprie convenit ideae nomen ut quum hominem, vel coelum, vel angelum vel Deum cogito; aliae vero alias quasdam formas habent, ut quum volo, quum timeo, quum affirmo quum nego, semper quidem aliquam rem ut subjectum meae cogitationis apprehendo, sed aliquid etiam amplius quam istius rei similitudinem cogi-

tatione complector, et ex his aliae voluntas sive affectus aliae autem judicia appellantur. Jam quod ad ideas attinet, si solae in se spectentur nec ad aliud quid illas referam, falsae proprie esse non possunt. Nulla etiam in ipsa voluntate vel affectibus falsitas est timenda. Ac proinde sola supersunt judicia, in quibus mihi cavendum est ne fallar, praecipuus autem error et frequentissimus qui possit in illis reperiri consistit in eo quod ideas quae in me sunt judicem rebus quibusdam extra me positis esse similes sive conformes, nam profecto si tantum ideas ipsas ut cogitationis meae quosdam modos considerarem, vix mihi ullam errandi materiam dare possent. Ex his autem ideis aliae innatae aliae adventitiae, aliae a me ipso factae mihi videntur. Sed hic praecipue de iis quaerendum est quas tamquam a rebus extra me exsistentibus desumptas considero; quaenam me movet ratio, ut illas istis rebus similes esse existimen; nempe ita videor doctus a natura et praeterea experior, illas non a mea voluntate nec proinde a me ipso pendere; saepe enim vel invito obversantur, ut sive velim sive nolim sentio calorem. Quum hic dico, me ita doctum esse a natura, intelligo tantum, me spontaneo quodam impetu ferri ad hoc credendum, non lumine quodam naturali mihi ostendi esse verum, quae duo multum discrepant. Nam quaecunque lumine naturali mihi ostenduntur (ut, quod ex eo quod dubitem sequatur me esse) nullo modo dubia esse possunt quia nulla alia facultas esse potest, cui aeque fidam ac lumini isti; sed quantum ad impetus naturales jam saepe olim judicavi me ab eis in deteriorem partem esse impulsum. Deinde quamvis ideae illae a voluntate mea non pendeant, non ideo constat, ipsas a rebus extra me positis procedere; ut enim impetus illi, de quibus mox loquebar quamvis in me sint a voluntate tamen mea diversi esse videntur, ita forte etiam aliqua alia est in me facultas nondum satis mihi cognita istarum idearum effectrix, ut hactenus semper visum est, illas dum somnio absque ulla rerum externarum ope formari.

Ac denique quamvis a rebus a me diversis procederent, non inde sequitur, illas istis rebus similes esse debere, quinimo in multis saepe magnum discrimen videor apprehendisse. Quae omnia satis demonstrant, me non hactenus certo judicio, sed tantum ex caeco aliquo impulsu credidisse, res quasdam a me diversas exsistere, quae ideas sive imagines suas per organa sensuum vel quolibet alio pacto mihi immittant. Sed alia quaedam via adhuc mihi occurrit ad inquirendum an res aliquae ex iis, quarum ideae in me sunt extra me exsistant. Nempe quatenus ideae istae cogitandi quidam modi tantum sunt, non agnosco inter ipsas ullam inaequalitatem et omnes a me eodem modo procedere videntur, sed quatenus una unam rem et alia aliam repraesentat, patet easdem ab invicem valde esse diversas; nam procul dubio illae, quae substantias mihi exhibent, majus aliquid sunt et ut ita loquar plus realitatis objectivae in se continent, quam illae quae tantum modos sive accidentia repraesentant, et rursus illa per quam summum aliquem Deum, aeternum, infinitum, omniscium, omnipotentem rerumque omnium quae praeter ipsum sunt creatorem intelligo plus profecto realitatis objectivae in se habet quam illae per quas finitae substantiae exhibentur. Jam vero lumine naturali manifestum est tantundem ad minimum esse debere in causa efficiente et totali, quantum in ejusdem causae effectu; nam quaeso, undenam possit assumere realitatem suam effectus nisi a causa et quomodo illam ei causa dare posset, nisi etiam haberet? Hinc autem sequitur nec posse aliquid a nihilo fieri nec etiam id quod magis perfectum est, hoc est quod plus realitatis in se continet ex eo quod minus atque hoc non modo perspicue verum est de iis effectibus, quorum realitas est actualis sive formalis, sed etiam de ideis in quibus consideratur tantum realitas objectiva. Nec etiam debeo suspicari, quum realitas quam considero in meis ideis tantum sit objectiva non opus esse, ut eadem realitas sit formaliter in causis istarum idearum, sed sufficere si sit in

eis etiam objective; nam quem ad modum iste modus essendi objectivus competit ideis ex ipsarum natura ita modus essendi formalis competit idearum causis saltem primis et praecipuis ex earum natura, et quamvis forte una idea ex alia nasci possit, non tamen hic datur progressus in infinitum, sed tandem ad aliquam primam debet deveniri, cujus causa sit instar archetypi, in quo omnis realitas formaliter contineatur, quae est in idea tantum objective. Sed quid tandem ex his concludam? Nempe si realitas objectiva alicujus ex meis ideis sit tanta, ut certus sim eandem nec formaliter nec eminenter in me esse nec proinde me ipsum ejus ideae causam esse posse, hinc necessario sequi non me solum esse in mundo, sed aliquam aliam rem quae istius ideae causa est etiam exsistere. Itaque sola restat idea Dei, in qua considerandum est an aliquid sit, quod a me ipso non potuerit proficisci. Dei nomine intelligo substantiam quandam infinitam, independentem, summe intelligentem, summe potentem et a qua tum ego ipse, tum aliud omne si quid aliud exstat quodcunque exstat sit creatum. Quae sane omnia talia sunt, ut quo diligentius attendo tanto minus a me solo profecta esse posse videantur. Ideoque ex antecedentibus concludo Deum necessario exsistere. Nec debeo putare, me non percipere infinitum per veram ideam sed tantum per negationem finiti, ut percipio quietem et tenebras per negationem motus et lucis, nam contra manifeste intelligo plus realitatis esse in substantia infinita, quam finita, ac proinde priorem quodam modo in me esse perceptionem infiniti quam finiti hoc est Dei quam mei ipsius. Nec dici potest, hanc forte ideam Dei materialiter falsam esse ideoque a nihilo esse posse, ut paullo ante de ideis frigoris et caloris et similium animadverti; nam contra quum maxime clara et distincta sit et plus realitatis objectivae quam ulla alia contineat, nulla est per se magis vera nec in qua minor falsitatis suspicio reperiatur. Est, inquam, haec idea entis summe

perfecti et infiniti maxime vera; nam quamvis forte fingi possit ens tale non exsistere, non tamen fingi potest, ejus ideam nihil mihi realitatis exhibere. Sed quia, quum minus attendo et rerum sensibilium imagines aciem mentis excaecant, non facile recordor, cur idea entis me perfectioris necessario ab ente aliquo procedat quod sit re vera perfectius, ulterius quaerere libet an ego ipse habens illam ideam esse possem, si tale ens nullum exsisteret? Nempe a quo essem? a me scilicet, vel a parentibus vel ab aliis quibuslibet Deo minus perfectis, nihil enim ipso perfectius nec etiam aeque perfectum cogitari aut fingi potest. Atqui si a me essem nec dubitarem nec optarem nec omnino quicquam mihi deesset, omnes enim perfectiones, quarum idea aliqua in me est mihi dedissem atque ita ipsemet Deus essem. Itaque nunc interrogare debeo me ipsum, an habeam aliquam vim, per quam efficere possim, ut ego ille qui jam sum paullo post etiam sim futurus; nam quum nihil aliud sim, quam res cogitans si qua talis vis in me esset, ejus procul dubio conscius essem; sed et nullam esse experior et ex hoc ipso evidentissime cognosco, me ab aliquo ente a me diverso dependere. Forte vero illud ens non est Deus sumque vel a parentibus productus vel a quibuslibet aliis causis Deo minus perfectis. Sed quum sim res cogitans ideamque quandam Dei in me habens, qualiscunque tandem mei causa assignetur, illam etiam esse rem cogitantem et omnium perfectionum quas Deo tribuo ideam habentem fatendum est, potestque rursus de illa quaeri an sit a se vel ab alia; si a se patet ex dictis illam ipsam Deum esse, quia nempe quum vim habeat per se exsistendi, habet procul dubio etiam vim possidendi omnes perfectiones quarum ideam in se habet. Si autem sit ab alia rursus eodem modo de hac altera quaereretur, an sit a se vel ab alia, donec tandem ad causam ultimam deveniatur quae erit Deus. Satis enim apertum est, nullum hic dari progressum in infinitum, praesertim quum non tantum de causa quae me olim produxit hic agam, sed maxime de illa quae me tempore praesenti conservat. Nec fingi potest plures

forte causas particulares ad me efficiendum concurrisse et ab una ideam unius e perfectionibus, quas Deo tribuo, ab alia ideam alterius me accepisse, adeo ut omnes quidem illae perfectiones alicubi in universo reperiantur, sed non omnes simul junctae in uno aliquo qui sit Deus. Nam contra unitas, simplicitas sive inseparabilitas eorum omnium quae in Deo sunt una est ex praecipuis perfectionibus, quas in eo esse intelligo nec certe istius omnium ejus perfectionum unitatis idea in me potuit poni ab ulla causa a qua etiam aliarum perfectionum ideam non habuerim. Quantum denique ad parentes attinet, ut omnia vera sint quae de illis unquam putavi, non tamen profecto illi me conservant, nec ullo modo me quatenus sum res cogitans effecerunt, sed tantum dispositiones quasdam in ea materia posuerunt, cui me hoc est mentem inesse judicavi ac proinde hic nulla de iis difficultas esse potest; sed omnino est concludendum, ex hoc solo quod exsistam quaedamque idea entis perfectissimi hoc est Dei in me sit evidentissime demonstrari, Deum etiam esse. Superest tantum, ut examinem, qua ratione istam ideam a Deo accepi; neque enim illa a sensibus nec unquam non exspectanti advenit nec etiam a me efficta est; nam nihil ab illa detrahere, nihil illi superaddere plane possum ac proinde superest, ut mihi sit innata, quem ad modum etiam mihi innata est idea mei ipsius. Totaque vis argumenti in eo est, ut agnoscam fieri non posse, ut exsistam talis naturae qualis sum, nempe ideam Dei habens, nisi re vera Deus etiam exsisteret; Deus inquam ille idem, cujus idea in me est hoc est habens omnes illas perfectiones, quas ego non comprehendere sed quocunque modo adtingere cogitatione possum et nullis plane defectibus obnoxius. Ex quibus satis patet, illum fallacem esse non posse; omnem enim fraudem et deceptionem a defectu aliquo pendere lumine naturali manifestum est. Sed priusquam hoc diligentius examinem simulque in alias veritates, quae inde colligi possunt inquiram, placet hic aliquamdiu in ipsius Dei contemplatione immorari, ejus attributa

apud me expendere et immensi hujus luminis pulchritudinem, quantum caligantis ingenii mei acies ferre potest, intueri, admirari, adorare. Ut enim in hac sola divinae majestatis contemplatione summam aberius vitae felicitatem consistere fide credimus, ita etiam jam ex eadem licet multo minus perfecta, maximam cujus in hac vita capaces sumus voluptatem percipi posse experimur. — Pertractata deinde, quam hic praetermittit quaestione, quaenam aliae veritates ex hac Dei exsistentis cognitione certiores fiant [4]) rursus alia quadam via idem demonstrare studet in ea meditatione quae inscribitur:

V De essentia rerum materialium et iterum de Deo quod exsistat. — Jam vero si ex eo quod rei alicujus ideam possim ex cogitatione mea depromere sequitur ea omnia, quae ad illam rem pertinere clare et distincte percipio re vera ad illam pertinere: numquid inde etiam haberi potest argumentum quo Dei exsistentia probetur? Certo ejus ideam nempe entis summe perfecti non minus apud me invenio quam ideam cujusvis figurae aut numeri nec minus clare et distincte intelligo ad ejus naturam pertinere ut semper exsistat quam id quod de aliqua figura aut numero demonstro ad ejus naturam pertinere, ac proinde in eodem ad minimum certitudinis gradu esse debet apud me exsistentia Dei, in quo hactenus fuerunt mathematicae veritates. Quamquam sane hoc prima fronte non est omnino perspicuum, sed quandam sophismatis speciem refert. Quum enim assuetus sim in omnibus aliis rebus exsistentiam ab essentia distinguere, facile mihi persuadeo illam etiam ab essentia Dei sejungi posse atque ita Deum ut non exsistentem cogitari, sed tamen diligentius adtendenti fit manifestum non magis posse exsistentiam ab essentia

---

4) cf. Meditationem IV: de vero et falso in qua haec res amplius tractata est.

Dei separari quam ab essentia trianguli magnitudinem trium ejus angulorum aequalium duobus rectis sive ab idea montis ideam vallis, ita ut non magis repugnet cogitare Deum (hoc est summe perfectum) cui desit exsistentia (hoc est cui desit aliqua perfectio) quam cogitare montem cui desit vallis Verumtamen ne possim quidem cogitare Deum nisi exsistentem ut neque montem sine valle, at certe, ut neque ex eo quod cogitem montem cum valle sequitur aliquem montem in mundo esse, ita neque ex eo quod cogitem Deum ut exsistentem ideo sequi videtur Deum exsistere; nullam enim necessitatem cogitatio mea rebus imponit et quemadmodum imaginari licet equum alatum etsi nullus equus habet alas, ita forte Deo exsistentiam possum affingere, etsi nullus Deus exsistat. Imo sophisma hic latet; neque enim ex eo quod non possim cogitare montem nisi cum valle sequitur alicubi montem et vallem exsistere, sed tantum montem et vallem sive exsistant sive non exsistant a se mutuo sejungi non posse; atque ex eo quod non possim cogitare Deum nisi exsistentem sequitur exsistentiam a Deo esse inseparabilem ac proinde eum re vera exsistere, non quod cogitatio mea hoc efficiat sive aliquam necessitatem ulli rei imponat, sed contra quia ipsius rei, nempe exsistentiae Dei necessitas me determinat ad hoc cogitandum; neque enim mihi liberum est, Deum absque exsistentia (hoc est ens summe perfectum absque summa perfectione) cogitare, ut liberum est equum vel cum alis vel sine alis imaginari.

Sicut Anselmo Cantuariensi quondam Gaunilo monacus (cap. II) ita Cartesio quoque plures illius temporis viri docti contradixerunt, quorum sententias ipse nobis in operibus suis reliquit. Inter quos Gassendius philosophus ejus disputationis auctor esse perhibetur, quae inscribitur primae objectiones, quarum summam breviter hic exponemus. Omittamus, quae reliquis Cartesii sententiis de iis quae in dubium

vocari possunt et de mente humana vir doctus opposuerit, et ut statim in mediam rem ingrediamur, ea, quae contra illam de Deo quod exsistat Cartesii demonstrationem proposita sunt audiamus. — „Sed ulterius“ inquit „quaerere libet an ego ipse „habens illam ideam esse possim, si ens tale nullum exsisteret“ nempe a quo idea entis me perfectioris procedat, ut immediate ante dicit; „nempe“ inquit „a quo essem? a me „scilicet vel a parentibus vel ab aliis etc. Atqui si a „me essem nec dubitarem nec optarem nec omnino quicquam „mihi deesset, omnes enim perfectiones quarum idea aliqua in „me est mihi dedissem atque ita ipsemet Deus essem.“ Si vero ab alio sum, tandem deveniam ad illud quod a se est et ita de illo idem quod de me est argumentum. Illa demum ipsa illa via est quam et S. Thomas (Aquitanus) ingreditur, quam vocat viam a causalitate causae efficientis eamque desumpsit ex philosopho, nisi quod isti de causis idearum non sint solliciti. Et forte opus non erat; quidni enim stricte rectaque incedam? Cogito ergo sum, imo ipse mens et cogitatio sum. Illa autem mens et cogitatio aut a se ipsa est aut ab alio; si hoc, istud porro a quo? Si a se est ergo Deus est. Quod enim a se est omnia sibi ipsi facile dederit. Rogo virum obsecroque, ut avidum lectorem et forte minus intelligentem se non celet; accipitur enim a se duplici modo. Primo positive nempe a se ipso ut a causa, atque ita quod a se esset sibique ipsi daret esse suum si praevio delectu sibi daret quod vellet, haud dubie sibi omnia daret atque adeo Deus esset. Secundo a se accipitur negative, ut sit idem quod a se ipso et non ab alio atque hoc modo ut memini ab omnibus accipitur. Tandem mihi cum viro convenit. Illud pro regula generali statuit: „quidquid clare distincteque cognosco „id sane ens verum est, imo quidquid cogito verum est.“ Sed nunc ex regula ista infer quod volebas. Atqui ens infinitum clare distincteque cognosco, ergo ens verum est aliquid; interrogabit non nemo, clarene distincteque cognosco ens infinitum? quid ergo sibi vult tritum illud et vulgo notum: in-

finitum qua infinitum est ignotum? Si enim ego quum de chiliogono cogito figuram aliquam confuse mihi repraesentans non chiliogonum ipsum distincte imaginor aut cognosco, quia mille ejus latera non distincte intueor: sane rogabit ille, quomodo infinitum ut infinitum distincte et non confuse tantum cogitet, si infinitas ejus perfectiones quibus constat clare et velut ad oculum videre non possit? Itaque permittamus, aliquis claram distinctamque ideam habeat entis summi et perfectissimi: quid inde promoves ulterius? nempe istud infinitum ens exsistere idque ita certo „ut in eodem ad „minimum certitudinis gradu Dei exsistentia apud me esse debeat, „in quo fuerunt hactenus mathematicae veritates, adeo ut non „magis repugnet cogitare Deum (hoc est ens summe perfectum) „cui desit exsistentia (hoc est aliqua perfectio) quam cogitare mon„tem cui desit vallis.“ Ibi totius rei cardo est; qui nunc cedit victum se fateatur oportet; mihi quia cum fortiori ago, libet paullum velitari, ut quum vincendus sim non nihil tamen differam quod vitare non possum. Ac in primis, etsi modo auctoritate non agimus sed ratione tantum, tamen ne ex libidine maximo ingenio videor reluctari ipsum potius S. Thomam audite; objicit sibi: „intellecto quid significet hoc nomen Deus „statim habetur quod Deus est; significatur enim hoc nomine „id quo majus significari non potest; majus autem est quod est, „in re et in intellectu, quam quod est in intellectu tantum; „unde quum intellecto hoc nomine Deus statim sit in intellectu „sequitur etiam quod sit in re.“ Nunc amabo vos, num quid ipsum hoc est argumentum D. Cartesii? S. Thomas Deum ita definit „quo majus significari non potest“ D. Cartesius vocat eum „ens summe perfectum“ illo sane majus cogitari non potest. S. Thomas subsumit: „id quo majus significari non „potest includit exsistentiam, alioqui majus aliquid significari „potest, nempe id quod exsistentiam significatur includere. At numquid D. Cartesius idem subsumere videtur? „Deus est „ens summe perfectum; atqui ens summe perfectum exsistentiam „includit, alioquin summe perfectum non esset.“ Infert S. Thomas:

„ergo quum intellecto hoc nomine Deus statim sit in intellectu ipso sequitur etiam quod sit in re“; hoc est, eo ipso quod in ipso conceptu essentiali entis quo majus significari non potest involvatur exsistentia sequitur, illud ipsum ens esse. Idem D. Cartesius infert: „atqui“ inquit „ex eo quod non possum „cogitare Deum nisi exsistentem, sequitur exsistentiam ab eo „esse inseparabilem ac proinde illum re vera exsistere.“ Nunc vero S. Thomas et sibi et D. Cartesio respondeat. „Dato“ inquit „quod quilibet intelligat hoc nomine Deus significari hoc „quod dicitur, scilicet illud quo majus cogitari non potest, non „tamen propter hoc sequitur, quod intelligat, id quod signifi„catur hoc nomine esse in rerum natura, sed in apprehensione „intellectus tantum. Nec potest argui quod sit in re, nisi da„retur quod sit in re aliquid quo majus significari non potest, „quod non est, datum a ponentibus Deum non esse.“ Ex quo ego quoque breviter respondeo: etiamsi detur, ens summe perfectum ipso nomine suo importare exsistentiam, tamen non sequitur, ipsammet illam exsistentiam in rerum natura actu quid esse, sed tantum cum conceptu entis summi conceptum exsistentiae inseparabiliter esse conjunctum. Ex quo non inferas, exsistentiam Dei actu quid esse, nisi supponas, illud ens summum actu exsistere; tunc enim et omnes perfectiones et hanc quoque realis exsistentiae actu includit.

Quam quidem viri docti adversus argumentum suum disputationem ipse Cartesius nequaquam neglexit, sed responsionem ad primas objectiones scripsit, quae eo minus nobis praetereunda est, quo clarius priores philosophi disquisitiones explicat. — Hic vero, inquit, vir nimis officiosus in locum invidiosum me adducit; confert enim meum argumentum cum alio quodam ex S. Thoma et Aristotele desumpto, ut ita veluti rationem exigat, cur quum eandem quam illi viam essem ingressus non tamen in omnibus eandem sim secutus. Sed permittat, quaeso, de aliis me tacere atque earum tantum quae ipse scripsi rationem reddere. Primo itaque non desumsi meum argumentum ex eo quod viderem in sensibilibus

esse ordinem sive successionem quandam causarum efficientium: tum quia Deum exsistere multo evidentius esse putavi, quam ullas res sensibiles; tum etiam quia per istam causarum successionem non videbar alio posse devenire, quam ad imperfectionem mei intellectus agnoscendam, quod nempe non possim comprehendere, quomodo infinitae tales causae sibi mutuo ab aeterno ita successerint, ut nulla fuerit prima. Itaque malui uti pro fundamento meae ratiocinationis exsistentia mei ipsius, quae a nulla causarum serie dependet mihique tam nota est, ut nihil notius esse possit. Deinde non quaesivi, quae sit causa mei, quatenus consto mente et corpore, sed praecise tantum, quatenus sum res cogitans; nam sic potui multo melius a praejudiciis me liberare, ad naturae lumen adtendere, interrogare me ipsum ac pro certo affirmare, nihil in me cujus nullo modo sim conscius esse posse. Praeterea non tantum quaesivi, quae sit causa mei, quatenus sum res cogitans, sed maxime etiam et praecipue, quatenus inter ceteras cogitationes ideam entis summe perfecti in me animadverto, ex hoc enim uno tota vis demonstrationis meae dependet. Primo quod in illa idea contineatur quid sit Deus, saltem quantum a me potest intelligi et juxta leges verae Logicae de nulla unquam re quaeri debet an sit, nisi prius quid sit intelligatur. Secundo, quia illa ipsa est, quae mihi dat occasionem investigandi, an sim a me vel ab alio et defectus meos agnoscendi, et postremo illa est, quae docet, non modo aliquam esse mei causam, sed praeterea etiam in causa illa contineri omnes perfectiones ac proinde illam Deum esse. Denique non dixi impossibile esse, ut aliquid sit causa efficiens sui ipsius. Sed plane admitto, aliquid esse posse, in quo sit tanta et tam inexhausta potentia, ut nullius unquam ope egerit, ut exsisteret, neque enim nunc egeat, ut conservetur, atque adeo sit quodam modo sui causa; Deumque talem esse intelligo. Nam quemadmodum, etiamsi fuissem ab aeterno ac proinde nihil me prius exstitisset, nihilominus, quia intelligo temporis partes a se

mutuo sejungi posse atque ita ex eo quod jam sim non sequi me mox futurum, nisi aliqua causa me quasi rursus efficiat singulis momentis, non dubitarem illam causam, quae me conservat efficientem vocare: ita Deus etiamsi nunquam non fuerit, quia tamen ille ipse est, qui se re vera conservat, videtur non nimis improprie dici posse sui causa. Ex quibus facile respondebo ad distinctionem verbi a se quod doctissimus theologus monuit esse explicandum. Negativa verbi a se acceptio a sola intellectus humani imperfectione procedit nullumque in rebus habet fundamentum; quaedam vero alia est positiva, quae a rerum veritate petita est et ex qua sola meum argumentum processit. Itaque quum dicimus, Deum a se esse, possumus quidem istud intelligere negative, ita scilicet, ut tantum sensus sit, nullam esse ejus causam, sed si prius de causa cur sit sive cur esse perseveret inquisivimus adtendentesque ad immensam et incomprehensibilem potentiam quae in ejus idea continetur tam exsuperantem illam agnovimus, ut plane sit causa cur ille perseveret nec alia praeter ipsam esse possit, dicimus Deum a se esse non amplius negative sed quam maxime positive. Prudenter vero hic quaerit an clare et distincte cognoscam infinitum. Itaque imprimis hic dicam infinitum qua infinitum nullo quidem modo comprehendi sed nihilominus tamen intelligi, quatenus scilicet, clare et distincte intelligere aliquam rem talem esse, ut nulli plane in ea limites possint reperiri est clare intelligere eam esse infinitam. Et hic quidem distinguo inter indefinitum et infinitum; illudque tantum proprie infinitum appello in quo nulla ex parte limites inveniuntur, quo sensu solus Deus est infinitus; illa autem in quibus sub aliqua tantum ratione fines non agnosco indefinita quidem appello, non autem infinita. Praeterea distinguo inter rationem formalem infiniti sive infinitatem et rem quae infinita est; nam quantum ad infinitatem etiamsi illam in-

telligamus esse quam maxime positivam non tamen nisi negativo quodam modo intelligimus, ex hoc scilicet quod in re nullam limitationem advertamus; ipsam vero rem quae est infinita positive quidem intelligimus, sed non adaequate hoc est non totum quod in ea intelligibile est comprehendimus. Simili ratione Deum ab humana mente capi non posse cum omnibus theologis concedo et ne distincte quidem posse cognosci ab iis, qui totum simul conantur complecti et tamquam e longinquo respiciunt. Qui autem ad singulas perfectiones adtendere illasque non tam capere quam ab ipsis capi et intellectus sui vires omnes in iis contemplandis occupare conantur, illi profecto multo ampliorem facilioremque materiam clarae et distinctae cognitionis in eo inveniunt, quam in ullis rebus creatis. Ego autem ubi dixi Deum clare et distincte cognosci posse non nisi de hac finita et ad modulum ingenii nostri accommodata cognitione intellexi. Neque enim ad veritatem eorum quae asserui aliter intelligere opus fuit, ut facile apparebit si advertatur, duobus tantum in locis me hoc dixisse; nempe ubi quaestio erat, utrum in idea quam formamus de Deo aliquid reale vel sola rei negatio contineatur, ut forte in idea frigoris nihil aliud est quam negatio caloris, qua de re nullum dubium esse potest; et ubi asserui exsistentiam ad notionem entis summe perfecti non minus pertinere quam tria latera ad notionem trianguli, quod etiam potest absque adaequata Dei cognitione intelligi. Confert hic rursus unum ex meis argumentis cum alio ex S. Thoma ut me veluti cogat ostendere, quae major vis in uno quam in altero reperiatur, atque hoc videor sine magna invidia facere posse, quia nec S. Thomas argumento illo usus est tamquam suo, nec idem concludit quod meum nec denique ulla hic in re ab Angelico doctore dissentio. Quaeritur enim ab ipso an Deum esse sit per se notum secundum nos, quod negat, et merito. Argumentum autem quod sibi objicit ita potest proponi: Intellecto quid significet hoc nomen Deus intelligitur id quo majus significari non po-

test; sed est majus esse in re et intellectu, quam in intellectu tantum; ergo intellecto quod significet hoc nomen Deus intelligitur Deum esse in re et in intellectu. Ubi est manifestum vitium in forma, concludi enim tantum debuisset: ergo intellecto quod significet hoc nomen Deus intelligitur significari Deum esse in re et in intellectu, atqui quod verbo significatur non ideo apparet esse verum. Meum autem argumentum fuit tale: Quod clare et distincte intelligimus pertinere ad alicujus rei veram et immutabilem naturam, sive essentiam sive formam, id potest de ea re cum veritate affirmari; sed postquam satis accurate investigavimus, quid sit Deus, clare et distincte intelligimus, ad ejus veram et immutabilem naturam pertinere ut exsistat; ergo tunc cum veritate de Deo possumus affirmare quod exsistat. Ubi saltem conclusio recte procedit. Sed neque etiam Major potest negari, quia jam antea concessum est; sola Minor restat, in qua fateor esse difficultatem non parvam. Primo, quia sumus assueti in reliquis omnibus exsistentiam ab essentia distinguere, ut non satis advertamus, quo pacto ad essentiam Dei potius quam aliarum rerum pertineat; ac deinde quia non distinguentes ea quae ad veram et immutabilem alicujus rei essentiam pertinent ab iis quae non nisi per figmentum intellectus illi tribuuntur, etiamsi satis advertamus, exsistentiam ad Dei essentiam pertinere, non tamen inde concludimus, Deum exsistere, quia nescimus an ejus essentia sit immutabilis et vera an tantum a nobis efficta. Sed ut prima hujus difficultatis pars tollatur est distinguendum inter exsistentiam possibilem et necessariam, notandumque in eorum quidem omnium quae clare et distincte intelliguntur conceptu sive idea exsistentiam possibilem contineri, sed nullibi necessariam nisi in sola idea Dei. Deinde ut altera pars difficultatis tollatur advertendum est, illas ideas, quae non

continent veras et immutabiles naturas, sed tantum fictitias et ab intellectu compositas ab eodem intellectu non per abstractionem tantum, sed per claram ac distinctam operationem dividi posse, adeo ut illa quae intellectus sic dividere non potest procul dubio ab ipso non fuerint composita. Quid est esse objective in intellectu? Olim didici: est ipsum actum intellectus per modum objecti terminare; quod sane extrinseca denominatio est et nihil rei; esse objective in intellectu non aliud significat quam esse eo modo in intellectu quo objecta in eo esse solent. Ubi advertendum est, illud respicere ad rem ipsam tamquam extra intellectum positam, ratione cujus est sane extrinseca denominatio, quod sit objective in intellectu, me autem loqui de idea quae nunquam est extra intellectum. Addit, quia talis idea solum concipitur, non actu est, concipi quidem at causari minime posse, hoc est causa non indigere cur extra intellectum exsistat, quod fateor; sed causa sane indiget cur concipiatur et de hac sola quaestio est.

Jam quum ad universam Cartesii demonstrationem respicimus, duo prima specie argumenta esse videntur, quorum alterum ad cosmologici rationem accommodatum ab effectu hoc est idea entis summe perfecti in mente humana ad causam efficientem scilicet Deum vere exsistentem procedit, alterum autem ontologicum e notione Dei entis summe perfecti ejus exsistentiam concludit. Sed si accuratius animum advertamus, alterum potius argumentum alterius praemissa est itaque ambo Anselmi demonstrationem non formaliter tantum, sed re vera etiam perficere et confirmare videntur. Primo enim certum nobis fiat oportet, ideam Dei hoc est summi et perfectissimi entis, quae menti humanae naturaliter impressa et quasi innata est non fictitiam vel ab intellectu nostro compositam sed veram et a cogitationis nostrae natura inseparabilem esse. Quod Cartesius ita demonstrare conatur, ut quum de aliis rebus omnibus dubitare possimus mentem sui ipsius consciam primum ac cer-

tissimum verum esse et in ea ideam entis perfectissimi non confusam tantum sed claram distinctamque contineri doceat, quae quidem idea nec a nobis ipsis nec ab alio quodam efficta esse potest sed ab ipso ente perfectissimo nobis tradita sit necesse est. Itaque celeberrimum illud: cogito ergo sum, ut recte dictum est [5]) principium cognoscendi est principium essendi autem ipse Deus. Deinde Cartesius ad probandam ipsius Dei cujus nobis idea insita est exsistentiam progreditur eamque sic demonstrat, ut quod clare distincteque ad alicujus rei veram et incommutabilem naturam pertinere intelligamus id nos de hac re vera affirmare posse doceat. Jam vero etiamsi in aliis omnibus rebus exsistentiam ab essentia distinguere assueti simus, clare tamen et distincte intelligimus ab essentia Dei hoc est entis summe perfecti exsistentiam, unam scilicet e perfectionibus inseparabilem esse. Ergo Deum cujus idea nobis innata et a cogitationis nostrae natura inseparabilis est re vera exsistere confitendum nobis est. Tota igitur argumenti vis ex his duobus pendet: primo, num re vera ideam entis summe perfecti quae est intellectus humani natura clare distincteque concipere possimus; tum vero quum in reliquis omnibus rebus exsistentiam ab essentia distinguamus, imo certe aliquam rem in suo genere perfectissimam etsi non exsistat cogitatione percipere possimus num Deum solum hoc est ens perfectissimum sine exsistentia quasi propria ipsi perfectione cogitari non posse pro certo habeamus Utrumque vero celeberrimus philosophus haud sine ulla dubitatione probavisse itaque Anselmi argumentum sagacissime profecto excoluisse sed nullo modo perfecisse nobis videtur..

---

5) cf. Erdmannus: Historia philosophiae recentioris I 1. p. 201.

CAPUT IV.

Benedictus Baruch de Spinoza.

Philosophia Cartesiana ipsis viri doctissimi temporibus plurimos et asseclas et adversarios habebat; ex horum numero praeter Petrum Gassendium praecipue Danielis Huetii, ex illorum Arnoldi Geulinxii et Nicolai Malebranchii mentionem facimus. Is autem vir qui philosophicum Cartesii systema insigni ingenio perficere conatus est erat Benedictus Baruch de Spinoza qui natus Amstelodami ex gente quadam nobili Lusitanico-Judaica anno 1632 proprium postea inter Judaicam Christianamque fidem locum obtinebat. Postquam oblatam sibi a Carolo Ludovico electore Palatino philosophicam in universitate litterarum Heidelbergensi cathedram accipere recusavisset, primum Rynsburgii prope Lugdunum Batavorum, tum Voorburgiis prope Hagas Comitum denique hac ipsa in urbe philosophicis plerumque studiis vacabat ibique anno 1677 mortuus est. Jam si quaerimus, quanam ratione Spinoza philosophicam doctrinam excoluerit, advertendum nobis erit, jam Cartesium hoc imprimis studuisse, ut substantiae notionem quam clarissime potuit explicaret. Substantiam definiebat rem in se ipsa exsistentem esse, verum non potest, inquit, substantia primum animadverti ex hoc solo quod sit res exsistens, quia hoc solum per se nos non afficit; sed facile eam agnoscimus ex quolibet ejus attributo per communem illam notionem, quod nihili nulla sint attributa nullaeve proprietates aut qualitates. Ex hoc enim quod aliquod attributum adesse percipiamus concludimus aliquam rem exsistentem sive substantiam, cui illud tribui possit, necessario etiam adesse. Et quidem ex quolibet attributo substantia cognoscitur, sed una tantum est cujusque substantiae praecipua proprietas, quae ipsius

naturam essentiamque constituit et ad quam aliae omnes referuntur. Atque ita facile possumus duas claras et distinctas habere notiones sive ideas, unam substantiae cogitantis creatae, aliam substantiae corporeae, si nempe attributa omnia cogitationis ab attributis extensionis accurate distinguamus. Quum autem harum substantiarum altera alteram excludat neque quoad exsistentiam per se ipsa esse possit, aliqua res sit necesse est, quae illis superior atque perfectior has duas quasi disjunctas ad unitatis rationem reducat, quae est Deus sive vera increata et infinita substantia, quae nullius aliae rei ut exsistat eget. Quae Cartesii sententia Spinozae minime sufficiebat. Sed quum substantiae nomine id tantum significari possit quod re vera per se exsistit unam modo veram substantiam esse dixit, cui duo illa attributa nempe cogitatio et extensio competant cujusque modi tantum omnes res visibiles et cogitantes et extensae hoc est mentes et corpora sint. Quod ut demonstraret methodo utebatur synthetica sive geometrica, quae continuata et definitionum et axiomatum et propositionum serie a primis veritatibus notis jam atque concessis ad reliquas adhuc ignotas demonstrandas procedit, ita ut lectores auditoresve, si quid consequentis negare velint hoc in praecedentibus jam contineri et ab iis concessum esse convincere posse videatur.

Quibus praemissis facilius argumenti ontologici quod Spinoza in libro suo qui inscribitur: Ethica ordine geometrico demontrata [1]) parte I de Deo proponit rationem intelligemus. Procedit enim demonstratio VIII definitionibus et VII axiomatis et XI propositionibus quarum unaquaeque demonstratione, plures et corollariis et scholiis amplius explicantur et defenduntur. Et haec quidem ipsa philosophi verba sunt: Definitiones I Per causam sui intelligo id cujus essentia includit exsistentiam sive id cujus natura non potest concipi

---

1) cf. Spinozae: Opera philosophica omnia ed Gfroerer. Stuttgardiae 1830 tom. II p. 287 sqq.

nisi exsistens. II Ea res dicitur in suo genere finita quae alia ejusdem naturae terminari potest. Ex. gr. corpus dicitur finitum, quia aliud semper majus concipimus. Sic cogitatio alia cogitatione terminatur. At corpus non terminatur cogitatione nec cogitatio corpore III Per substantiam intelligo id quod in se est et per se concipitur, hoc est id, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat IV Per attributum intelligo id quod intellectus de substantia percipit tamquam ejusdem essentiam constituens V Per modum intelligo substantiae affectiones, sive id quod in alio est, per quod etiam concipitur. VI Per Deum intelligo ens absolute infinitum id est substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam et infinitam essentiam exprimit. Explicatio: dico absolute infinitum, non autem in suo genere; quidquid enim in suo genere tantum infinitum est, infinita de eo attributa negare possumus; quod autem absolute infinitum est, ad ejus essentiam pertinet, quidquid essentiam exprimit et negationem nullam involvit. VII Ea res libera dicetur, quae ex sola naturae suae necessitate exsistit et a se sola ad agendum determinatur; necessaria autem vel potius coacta, quae ab alio determinatur ad exsistendum et operandum certa determinatione. VIII Per aeternitatem intelligo ipsam exsistentiam, quatenus ex sola rei aeternae definitione necessario sequi concipitur. Explicatio: talis enim exsistentia ut aeterna veritas, sicut rei essentia concipitur proptereaque per durationem aut tempus explicari non potest, tametsi duratio principio et fine carere concipiatur. Quibus conjuncta sunt Axiomata: I Omnia quae sunt vel in se vel in alio sunt. II Id quod per aliud non potest concipi per se concipi debet. III Ex data causa determinata necessario sequitur effectus, et contra, si nulla detur causa determinata, impossibile est ut effectus sequatur. IV Effectus cognitio a cognitione causae dependet et eandem involvit. V Quae nihil

commune cum se invicem habent per se invicem intelligi non possunt sive conceptus unius alterius conceptum non involvit. VI Idea vera debet cum ideato suo convenire. VII Quidquid ut non exsistens potest concipi, ejus essentia non involvit exsistentiam. Sequuntur Propositiones. I Substantia prior est natura suis affectionibus. Demonstratio: patet ex definitione 3 et 5. II Duae substantiae diversa attributa habentes nihil inter se commune habent. Demonstratio. patet etiam ex definit. 3. Unaquaeque enim in se debet esse et per se debet concipi sive conceptus unius conceptum alterius non involvit. III Quae res nihil commune inter se habent, earum una alterius causa esse non potest. Demonstratio: si nihil commune inter se habent ergo (per axioma 5) nec per se invicem possunt intelligi adeoque (per axiom 4) una alterius causa esse non potest. IV Duae aut plures res vel inter se distinguuntur ex diversitate attributorum substantiarum vel ex diversitate earundem affectionum. Demonstratio: omnia quae sunt vel in se vel in alio sunt (per axiom 1.) hoc est (per definit 3 et 5) extra intellectum nihil datur praeter substantiam ejusque affectiones. Nihil ergo extra intellectum datur, per quod plures res distingui inter se possunt praeter substantias sive quod idem est (per definit 4) earum attributa earumque affectiones. V In rerum natura non possunt dari duae aut plures substantiae ejusdem naturae sive attributi. Domonstratio: si darentur plures distinctae, deberent inter se distingui vel ex diversitate attributorum vel ex diversitate affectionum (per propositionem praecedentem). Si tantum ex diversitate attributorum, concedetur, non dari nisi unam ejusdem attributi. At si ex diversitate affectionum, quum substantia natura sit prior suis affectionibus (per proposit 1.), depositis ergo affectionibus et in se considerata hoc est (per definit 3 et 6) vere considerata non poterit concipi ab alia distingui, hoc est (per propos. praec.) non poterunt dari plures sed una

tantum. VI **Una substantia non potest produci ab alia substantia.** Demonstratio: in rerum natura non possunt dari duae substantiae ejusdem attributi (per propos. praec.) hoc est (per propos 2), quae aliquid inter se commune habent. Adeoque (per propos 3) una alterius causa esse nequit sive una ab alia non potest produci. **Corollarium.** Hinc sequitur, substantiam ab alio produci non posse. Nam in rerum natura nihil datur praeter substantias earumque affectiones ut patet ex axiom. 1 et definit. 3 et 5. Atqui a substantia produci non potest (per propos. praec.) Ergo substantia absolute ab alio produci non potest. Aliter: demonstratur hoc etiam facilius ex absurdo contradictorio. Nam si substantia posset ab alio produci, ejus cognitio a cognitione causae suae deberet pendere (per axiom 4) adeoque (per definit. 3) non esset substantia. VII **Ad naturam substantiae pertinet exsistere.** Domonstratio: substantia non potest produci ab alio (per corall. propos. praec.), erit igitur causa sui id est (per definit. 1) ipsius essentia necessario involvit exsistentiam, sive ad ejus naturam pertinet exsistere. VIII **Omnis substantia est necessario infinita.** Demonstratio: substantia unius attributi non nisi unica exsistit (per propos. 5) et ad ipsius naturam pertinet exsistere (per propos. 7). Est ergo de ipsius natura vel finita vel infinita exsistere. At non finita. Nam (per definit. 2) deberet terminari ab alia ejusdem naturae, quae etiam necessario deberet exsistere (per propos. 7) adeoque darentur duae substantiae ejusdem naturae sive attributi, quod est absurdum (per propos. 5). Exsistit ergo infinita. **Scholion:** 1) Quum finitum esse re vera sit ex parte negatio et infinitum absoluta affirmatio exsistentiae alicujus naturae, sequitur ex sola 7 propositione, omnem substantiam debere esse infinitam. 2) Non dubito, quin omnibus, qui de rebus confuse judicant nec res per primas suas causas noscere consueverunt, difficile sit demonstrationem 7 propositionis concipere; nimirum quia non distinguunt inter modificationes substantiarum et ipsas substantias, neque sciunt, quomodo res producuntur. Unde fit, ut principium, quod res

naturales habere vident substantiis affingant. Si autem homines ad naturam substantiarum attenderent minime de veritate 7 propositionis dubitarent, imo haec propositio omnibus axioma esset et inter notiones communes numeraretur. Nam per substantiam intelligerent id quod in se est et per se concipitur hoc est cujus cognitio non indiget cognitione alterius rei. Per modificationes autem id quod in alio est et quarum conceptus a conceptu rei in qua sunt formatur, quocirca modificationum non exsistentium veras ideas possumus habere, quandoquidem quamvis non exsistant actu extra intellectum earum tamen essentia ita in alio comprehenditur, ut per idem concipi possint. Verum substantiarum veritas extra intellectum non est nisi in se ipsis, quia per se concipiuntur. Si quis ergo diceret se claram et distinctam hoc est veram ideam substantiae habere et nihilominus dubitare, num talis substantia exsistat, idem hercle esset ac si diceret, se veram habere ideam et nihilominus dubitare, num falsa sit, vel si quis statuat, substantiam creari simul statuit, ideam falsam factam esse veram, quo sane nihil absurdius concipi potest; adeoque fatendum est necessario, substantiae exsistentiam sicut ejus essentiam aeternam esse veritatem. Atque hinc alio modo concludere possumus, non dari nisi unicam ejusdem naturae, quod hic ostendere operae pretium duxi. Ut autem hoc ordine faciam notandum est: primo veram uniuscujusque rei definitionem nihil involvere neque exprimere praeter rei definitae naturam. Ex quo sequitur secundo nullam definitionem certum aliquem numerum individuorum (ex. gr. definitionem trianguli non certum numerum triangulorum) involvere neque exprimere. Tertio notandum, dari necessario uniuscujusque rei exsistentis certam aliquam causam propter quam exsistit. Quarto denique notandum, hanc causam propter quam aliqua res exsistit vel debere contineri in ipsa natura et definitione rei exsistentis vel debere extra ipsam dari. His positis sequitur, quod si in natura certus aliquis numerus individuorum (ex. gr. 20 hominum) exsistat, debeat necessario dari causa, cur illa individua et cur non plura nec pauciora ex-

sistunt. At haec causa (per notam 2 et 3) non potest in ipsa natura rei definitae (natura humana) contineri, quandoquidem vera rei definitio numerum non involvit, et propterea absolute concludendum, omne id, cujus naturae plura individua exsistere possunt, debere necessario ut exsistant causam externam habere. Jam quoniam ad naturam substantiae pertinet exsistere, debet ejus definitio necessariam exsistentiam involvere, et consequenter ex sola ejus definitione debet ipsius exsistentia concludi. At ex ipsius definitione non potest sequi plurium substantiarum exsistentia; sequitur ergo ex ea necessario, unicam tantum ejusdem naturae exsistere, ut proponebatur. IX Quo plus realitatis aut esse unaquaeque res habet, eo plura attributa ipsi competunt. Demonstratio: patet ex definitione 4. X Unumquodque unius substantiae attributum per se concipi debet. Demonstsatio: attributum enim est id quod intellectus de substantia percipit tamquam ejus essentiam constituens (per definit. 4) adeoque (per definit. 3) per se concipi debet. Scholion: Ex his apparet, quod quamvis duo attributa realiter distincta concipiantur, hoc est unum sine ope alterius, non tamen possumus inde concludere, ipsa duo entia sive duas diversas substantias constituere, id enim est de natura substantiae, ut unumquodque ejus attributorum per se concipiatur, quandoquidem omnia quae habet attributa simul in ipsa semper fuerunt nec unum ab alio produci potuit, sed unumquodque realitatem sive esse substantiae exprimit. Longe ergo abest, ut absurdum sit, uni- substantiae plura attributa tribuere, quin nihil in natura clarius, quam quod unumquodque ens sub aliquo attributo debeat concipi et quo plus realitatis aut esse habeat, eo plura attributa, quae et necessitatem sive infinitatem et aeternitatem exprimunt habeat, et consequenter nihil etiam clarius, quam quod ens absolute infinitum necessario sit definiendum, (ut definit. 6 tradidimus) ens quod constat infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam et infinitam certam essentiam exprimit. Si quis autem jam quaerit, ex quo ergo signo diversitatem substantiarum poterimus dignoscere, legat

sequentes propositiones, quae ostendunt, in rerum natura non nisi unicam substantiam exsistere eamque absolute infinitam esse, quapropter id signum frustra quaereretur. XI Deus sive substantia constans infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam et infinitam essentiam exprimit necessario exsistit. Demonstratio: si negas, concipe si fieri potest, Deum non exsistere. Ergo (per axiom 7) ejus essentia non involvit exsistentiam. Atqui hoc (per propos. 7) est absurdum; ergo Deus necessario exsistit. Aliter: Cujuscunque rei assignari debet causa seu ratio tam cur exsistit quam cur non exsistit. Ex. gr. si triangulus exsistit, ratio seu causa dari debet cur exsistit; si autem non exsistit, ratio etiam seu causa dari debet, quae impedit, quominus exsistat sive quae ejus exsistentiam tollat. Haec vero ratio seu causa vel in natura rei contineri debet vel extra ipsam. Ex. gr. rationem, cur circulus quadratus non exsistat ipsa ejus natura indicat, nimirum quia contradictionem involvit. Cur autem contra substantia exsistat ex sola etiam ejus natura sequitur, quia scilicet exsistentiam involvit (per propos. 7). At ratio cur circulus vel triangulus exsistit, ex eorum natura non sequitur, sed ex ordine universae naturae corporeae, ex eo enim sequi debet, vel jam triangulum necessario exsistere, vel impossibile esse ut jam exsistat. Atque haec manifesta per se sunt. Ex quibus sequitur id necessario exsistere, cujus nulla ratio nec causa datur, quae impedit quominus exsistat. Si igitur nulla ratio nec causa dari possit, quae impedit quominus Deus exsistat sive quae ejus exsistentiam tollat, omnino concludendum est, eundem necessario exsistere. At si talis ratio seu causa daretur vel in ipsa Dei natura vel extra ipsam dari deberet, hoc est in alia substantia alterius attributi. Nam si ejusdem naturae esset eo ipso concederetur, Deum esse. At substantia quae alterius esset naturae nihil cum Deo commune habere (per propos. 2) adeoque neque ejus exsistentiam ponere neque tollere posset. Quum igitur ratio seu causa, quae divinam exsistentiam tollat extra divinam naturam dari non possit, debebit necessario dari siqui-

dem non exsistit, in ipsa ejus natura, quae propterea contradictionem involveret. Atque hoc de ente absolute infinito et summe perfecto affirmare absurdum est, ergo nec in Deo nec extra Deum ulla causa seu ratio datur, quae ejus exsistentiam tollat ac proinde Deus necessario exsistit. Aliter: Posse non exsistere impotentia est, et contra posse exsistere potentia est ut per se notum. Si ergo id quod jam necessario exsistit non nisi entia finita sunt, ergo entia finita potentiora ente absolute infinito, atque hoc, ut per se notum, absurdum est; ergo vel nihil exsistit vel ens absolute infinitum necessario etiam exsistit. Atqui nos vel in nobis vel in alio quod necessario exsistit exsistimus (vid axiom. 1 et propos. 7). Ergo ens absolute infinitum hoc est (per definit. 6). Deus necessario exsistit. Scholion: In hac ultima demonstratione Dei exsistentiam a posteriori ostendere volui, ut demonstratio facilius perciperetur, non autem quod ex hoc eodem fundamento Dei exsistentia a priori non sequatur. Nam quum posse exsistere potentia sit, sequitur, quo plus realitalis alicujus rei naturae competit, eo plus virium a se habere, ut exsistat adeoque ens absolute infinitum sive Deum infinitam absolute potentiam exsistendi a se habere, qui propterea absolute exsistit. Multi tamen forsan non facile hujus demonstrationis evidentiam videre possunt, qui assueti sunt eas solummodo res contemplari, quae a causis externis fluunt, et ex his quae cito fiunt hoc est quae facile exsistunt eas etiam facile perire vident, et contra eas res factu difficiliores judicant hoc est ad exsistendum non adeo faciles, ad quas plura pertinere concipiunt. Verum ut ab his praejudiciis liberentur non opus habeo hic ostendere, qua ratione hoc enunciatum: quod cito fit cito perit verum sit, nec etiam an respectu totius naturae omnia aeque facilia sint an secus. Sed hoc tantum notare sufficit, me hic non loqui de rebus quae a causis externis fiunt, sed de solis substantiis, quae (per propos. 6) a nulla causa externa produci possunt. Res enim, quae a causis externis fiunt, sive eae multis partibus constent sive paucis, quidquid perfectionis sive realitatis habent, id omne virtuti causae externae

debetur, adeoque earum exsistentia ex sola perfectione causae externae non autem sua oritur Contra quidquid substantia perfectionis habet nulli causae externae debetur, quare ejus etiam exsistentia ex sola ejus natura sequi debet, quae proinde nihil aliud est quam ejus essentia. Perfectio igitur rei exsistentiam non tollit, sed contra ponit; imperfectio autem eandem tollit; adeoque de nullius rei exsistentia certiores esse possumus, quam de exsistentia entis summe infiniti seu perfecti, hoc est Dei. Nam quandoquidem ejus essentia omnem imperfectionem secludit absolutamque perfectionem involvit eo ipso omnem causam dubitandi de ipsius exsistentia tollit summamque de eadem certitudinem dat, quod mediocriter attendenti perspicuum fore credo. Ad hanc demonstrationem quum respicimus fundamenta primo quibus nititur consideranda nobis sunt, quae quidem haud parvas difficultates praebere videntur. Quum enim philosophus unam tantum infinitam substantiam esse contendat, cui duo praecipue infinita attributa cogitatio scilicet et extensio competant cujusque modi tantum sive affectiones omnes res cogitantes hoc est mentes, et extensae hoc est corpora sint neque tamen individua et intelligentia et corporea vere esse altera ex parte neget contradictio sane nobis occurrit. Quomodo enim plures et variae quidem res externae, plures praesertim mentes sui ipsius consciae sint et tamen una solummodo substantia exsistat, hoc etiam adhibita illa definitione 3 vix quisquam facile intelliget. Nam ut cetera omittamus, mens profecto sui ipsius conscia in se est et per se concipitur; primum igitur quod actuale mentis humanae esse constituit (Pars II propos. 9) non idea rei alicujus singularis actu exsistentis esse potest, quum idea potius menti inesse quam ejus exsistentiam constituere recte dicatur. Itaque si mens humana actu exsistit, intellectus qui se ipsum cogitando concipit, substantia quaedam individua etsi finita, minime vero modus tantum infinitae alicujus substantiae cogitantis est. Si porro ad notionem Dei quam philosophus (definit. 6) proponit respicimus, sagacissima sane est, sed nequaquam illa omnia continet, quae

communis omnium hominum perceptio de Deo intelligit. Philosophus, ut ita dicamus, ens quoddam potentissimum mente sibi effingit, coram quo nullum aliud ens re vera subsistere, sed per speciem tantum esse potest; Saturnum quendam, qui omnes quos progenuit liberos immensa sua et valde horribili potentia iterum devorat. Homo autem, non dico christianus sed pius Deum hoc est mentem sui ipsius consciam perfectissimam, sapientissimam, summe bonam quaerit, hanc re vera exsistere quam certissime fieri poterit sibi probari vult. Si denique ad ipsum Spinozae argumentum respicimus tres propositae sunt demonstrationes. Quarum prima Dei hoc est infinitae substantiae essentiam necessario exsistentiam involvere ex praecedentibus breviter probat. Altera sagacissime nullam causam sive rationem quae entis absolute infiniti et summe perfecti exsistentiam tollat dari posse ostendit Non tamen inde sequi videtur, Deum necessario exsistere, sed tantum possibile esse ut essentia ejus exsistentiam involvat. Tertia prioribus illis, quae ante Spinozam proposita sunt argumentis similis est. Id quod vel exsistere vel non exsistere potest imperfectionem includit. Itaque si res finitae essent, ens vero absolute infinitum et perfectum non sine omni dubio exsisteret, sed non esse cogitari posset, finitae illae res exsistentes ente infinito perfectiores essent, quod absurdum est. Jam vero nos ipsi profecto sumus: ergo ens absolute infinitum necessario exsistit. Quae demonstratio cum Cartesii argumento proxime convenit, cum Anselmi vero ea quam in Scholio proponit forma: Posse exsistere perfectio est et quo plus realitatis alicujus rei naturae competit, eo plus virium a se habet, ut exsistat: ergo ens absolute infinitum sive Deus infinitam absolute potentiam exsistendi a se habet adeoque necessario exsistit. Sed eorum quae supra jam (capite II et III) disseruimus hic meminisse sufficiet, nec posse exsistere nec actu esse perfectionem recte dici, quum ipsa potius exsistentia omnium perfectionum fons quasi et principium sit. Itaque Spinozam plura quidem et gravissima sicut in substantiae infinitae notione accuratius definienda, ad excolendum argumentum

ontologicum contulisse neque tamen demonstrationem suam extra omnem dubitationem posuisse dicendum nobis erit.

CAPUT V.

Christianus Wolfius et Johannes Georgius Sulzerus.

Sagacissima illa et ad excolendam philosophiam apta Spinozae definitio: per substantiam intelligo id quod in se est et per se concipitur nequaquam tamen ad omnia quae substantiae notionem constituunt explicanda sufficere videbatur. Substantia — insequentes philosophi dicebant — non solum in se est, sed etiam per se agit sive propriam non modo essentiam sed etiam internam quandam vim et efficacitatem (id quod veteres philosophi Graeci ἐντελεχείαν vocabant) habet. Haec autem vis actualis loci mutationem et loci mutatio discrimen necessario includit. Itaque si ad substantiae notionem vis actulis a se ipsa suique ipsius conscia pertinet non una ut apud Spinozam sed plures substantiae discerni debent, imo potius si unicuique substantiae propria vis actualis competit, duo individua prorsus inter se aequalia dari nequeunt, ex quo principium discernibilium sive individuationis sequitur, quod primus Leibnitius proposuit. Qui philosophus singulas illas substantias quae propriam agendi vim habent et quaecunque in rerum natura fieri possunt efficiunt monades appellabat. Sunt igitur monades, quum unicuique earum non propria solum sed etiam simplex et interna vis actualis competat quasi singulae mentes finitae, quae totum mundum implent et actualitate intelligendi vivificant, ita ut nulla universi pars intelligentia prorsus careat. Jam quum monades propriam spontaneamque actualitatem habentes causis externis determinari non

possint, sed omnes potius ipsorum mutationes et discrimina ab internis qualitatibus procedere debeant, unicuique monadi propria competit perceptio sive repraesentatio multitudinis diversarum monadum in unitate seu substantia simplici, quae quidem perceptio vel clara distinctaque vel obscura et confusa esse potest. Obscura est perceptio, quae ad cognoscendam rem perceptam non sufficit, clara autem, quae rem perceptam cognoscere valet et haec quidem eo modo distincta vel confusa est, quo notiones quae ad rem aliquam distinguendam pertinent singillatim enumerari possunt vel nequeunt. Confusa igitur perceptio nihil aliud est quam quod infinitam multitudinem in substantia simplici sive diversarum monadum inter se relationes exprimit. Omnes nempe monades communi inter se conjunctae sunt vinculo itaque fit, ut reliquae omnes ab unaquaque earum percipi debeant. Sed quum singulae monades finitae atque imperfectae sint, reliquarum monadum non nisi obscuram vel confusam et sensibus subjectam habere possunt perceptionem. Quare quum unaquaeque monas et essentiam suam finitam et actualitatem ab reliquis monadibus impeditam esse percipiat haec ipsa monadum inter se relatio, quatenus in unaquaque earum confusa perceptio est m a t e r i a appellatur. Apparet hinc, quod materiae quoque tamquam multarum monadum conjunctioni mens sive vis percipiendi sed confusa tantum et determinata inesse potest. Hoc ipso modo animae humanae cum corpore conjunctio recte concipitur. Nam et corpus humanum ex compluribus constat monadibus, quarum una per majorem clarae et distinctae perceptionis suae perfectionem summum quasi inter ceteras imperium obtinet et mens humana vocatur. Nihilominus omnes monades, quae est earum natura individua manent quae in se sunt et per se agunt, ita ut nec una ab altera ex. gr. mens a corpore vel corpus a mente ad agendum determinetur. Causa, quae omnium monadum vires actuales ita inter se conjunxit, ut summo ordine et consensu agant, quae mentis et corporis talem effecit conjunctionem vel potius consentaneam actualitatem, qualis est duorum horologiorum, quae ad unam eandemque

horam accurate ordinata eodem ordine moventur, causa, inquam, hujus consensus est systema harmoniae praestabilitae. Istius harmoniae auctor est Deus. Quoniam enim omnia Dei opera (id quod etiam ad omnium monadum inter se relationes pertinet) necessario maxime sunt harmonica ex eo sequitur, Deum statim animum creasse ea ratione, ut ipse sibi producere et repraesentare debeat, quidquid in corpore transigitur, et corpus vicissim ea ratione, ut ex se facere debeat quod ab animo praecipitur. Quo fit, ut leges, quae ex finalium causarum ordine et perceptionum evolutione mentis cogitationes colligant debeant eo ipso imagines producere, quae corporum per organa sensuum nostrorum impressis affectionibus respondeant et vicissim, ut leges motuum corporeorum e causarum efficientium ordine sibi succedentium mentis cogitationibus sic respondeant, ut corpus eodem tempore ad agendum moveatur, quo mens vult ut moveatur. Si porro quaeritur, quomodo intellectus humanus cogitando Deum possit invenire, respondendum est, quod mentibus humanis apperceptione sive sui ipsius conscientia praeditis ordo veritatum aeternarum seu idearum, hoc est perceptiones non solum multitudinis sed rationum etiam et legum, quae ad universam rerum naturam ordinandam necessariae intelliguntur insunt, e quibus intellectus ad duo illa ratiocinationum nostrarum magna principia ascendit: principium contradictionis, quo statuitur, e duabus propositionibus contradictoriis alteram esse veram, alteram falsam unde etiam sequitur, id quod contradictionem non involvat possibile esse et principium rationis sufficientis sive determinantis, quo confirmatur, nihil unquam evenire, cujus non sit aliqua causa vel ratio saltem determinans, hoc est aliquid quod sufficiat ad reddendam rationem, cur haec res potius exsistat quam non exsistat et hoc potius modo quam alio quodam exsistat. Hisce duobus principiis adhibitis Dei quoque exsistentia demonstrari potest. Deus enim solus hoc privilegio gaudet, quod necessario exsistat si possibilis est. Et quemadmodum nihil possibilitatem ejus impedit, quod limitum

expers nec ullam negationem consequenter nec contradictionem involvit, hoc unicum sufficit ad agnoscendam exsistentiam Dei a priori. Enimvero eandem jam probavimus a posteriori, quia scilicet res contingentes exsistunt, quae rationem ultimam sive sufficientem habere nequeunt, nisi in ente necessario, quod rationem exsistentiae suae in se ipso habet. Apparet, Leibnitium his verbis argumenti cosmologici formam adumbrare, quam demonstrationem aliis locis [1]) amplius explicat.

Is autem vir, qui Leibnitii philosophiam non modo sectatus et amplificatus est, sed magno etiam ingenio excoluit et sicut antiquissimis temporibus Plato et Aristoteles ad omnes fere philosophiae et theologiae disciplinas methodo adstricte scientifica et demonstrativa adbibuit erat Christianus Wolfius. Natus Wratislaviae anno 1679 coriarii filius studiis primo theologiae, deinde mathematicae et physicae incubuit et anno 1707 harum scientiarum nec non philosophiae professor in universitate litterarum Halensi nominatus est. Postea multis acerbissimisque contra theologos Halenses certaminibus implicatus et ab adversariis quibusdam apud regem Friedericum Guilielmum I tamquam religionis christianae inimicus accusatus anno 1723 a rege loco suo remotus et exsulatus est. Diutius tum Marburgiae principi Hassiae a consiliis aulicis et philosophiae in universitate litterarum professor vixit, quo etiam tempore imperii Romano-Germanici liber baro factus est. Tum regnante Friederico II Magno anno 1740 Halas Saxonum philosophiae professor rediit ibique anno 1754 diem supremum obiit. Hic vir mathematicae disciplinae methodo demonstrativa ad firmanda quoque et illustranda theologiae atque philosophiae dogmata uti sagacissime studuit et imprimis quidem hac ratione Dei exsistentiam demonstrare conatus est. Itaque argumentum quoque ontologicum in libro qui inscribitur: Theologia naturalis [2])

---

1) cf. Leibnitii: Essai de Theodicée etc. I 4. et Opera theologica I p. 5—8 in: Opera omnia ed. Dutens tom I.

2) cf. Wolfii: Theologia naturalis methodo scientifica pertractata II Partes Francofurti et Lipsiae 1736—37. Pars I §§ 24—72.

proposuit et haec ejus verba sunt: Exsistit ens necessarium. Anima humana exsistit (§ 21 Psycholog. empir.) seu nos exsistimus (§ 14 Psychol. empir.). Quoniam nihil est sine ratione sufficiente, cur potius sit, quam non sit (§ 70 Ontolog), ratio sufficiens detur necesse est, cur anima nostra exsistit seu cur nos exsistimus. Haec adeo ratio aut in nobismet ipsis continetur aut in ente quodam alio a nobis diverso (§ 53 Ontol.). Quodsi ponas, nos rationem exsistentiae habere in ente, quod denuo rationem exsistentiae suae in alio habet, non pervenietur ad rationem sufficientem nisi tandem in ente aliquo subsistas, quod exsistentiae suae rationem sufficientem in se ipso habeat. Aut igitur nosmet ipsi sumus ens necessarium, aut datur ens necessarium aliud a nobis diversum (§ 309 Ontol.), consequenter ens necessarium exsistit. Ens necessarium non indiget vi entis alterius ad exsistendum. Ens enim necessarium rationem sufficientem exsistentiae suae in se ipso habet (§ 309 Ontol.) adeoque in ente nullo a se diverso. Exsistit igitur, etiamsi ens aliud ab ipso diversum nullum exsistere ponatur (§ 118 Ontol.), consequenter vi entis alterius ad exsistendum non indiget. Quoniam ens necessarium non indiget vi alterius ad exsistendum (§ 25) vi propria exsistit seu sibimet ipsi sufficit ad exsistendum. Ens illud, quod vi propria exsistit, seu quod non indiget vi entis alterius ut exsistat, dicitur ens a se, quod vero indiget vi alterius ut exsistat ens ab alio appellatur. Aseitas est independentia exsistentiae ab ente alio. Datur ens a se. Ens enim a se non indiget vi entis alterius ut exsistat (§ 27) adeoque per ea quae ipsi insunt intelligi potest, cur potius exsistat quam non exsistat, consequenter rationem exsistentiae suae sufficientem in se ipso habet (§ 56 Ontol.). Quamobrem quum sit ens necessarium (§ 309 Ontol.) ens vero necessarium exsistat seu detur (§ 24) ens a se datur. Ens a se independens est. Ens enim a se non indiget vi entis alterius ut exsistat (§ 27) adeoque exsistere potest, etiamsi praeter ipsum ens aliud non exsistat. Quamobrem quum essentia non minus (§ 300 Ontol.) quam

attributa et modorum possibilitates proximae immutabilia sint (§ 313 Ontol.), ut adeo ens sine determinatione aliqua essentiali vel quodam attributo exsistere nequeat, nihil datur in ente a se, quod rationem sui habeat in ente alio. Ens igitur a se independens est. Ens a se rationem exsistentiae in essentia sua habet. Etenim ens a se independens est ab omni ente alio (§ 30), consequenter et exsistentiae suae rationem in alio non habet (§ 851 Ontol.). Habet igitur eandem in se (§ 70 Ontol.). Quamobrem quum in essentia contineatur ratio sufficiens, cur quid eidem vel actu insit vel inesse possit (§ 155 Ontol.) ratio exsistentiae entis a se in essentia ipsius contineri debet. Quoniam ens necessario exsistit et ejus exsistentia absolute necessaria est, si hujus ratio rufficiens in essentia ipsius continetur (§ 308 Ontol.) ens a se necessario exsistit et ejus exsistentia absolute necessaria est. Ens necessarium est ens a se. Ens enim necessarium non indiget vi entis alterius ad exsistendum (§ 25). Sed quod non indiget vi alterius, ut exsistat est ens a se (§ 27). Ergo ens omne necessarium est ens a se. Idem etiam sic ostenditur: Exsistentia entis a se est absolute necessaria (§ 32) et rationem exsistentiae suae in essentia sua habet (§ 31). Quamobrem quum ens necessarium sit, cujus exsistentia absolute necessaria seu quod rationem sufficientem exsistentiae suae in essentia sua habet (§ 309 Ontol.) ens necessarium est ens a se. Ens a se exsistit ideo quia possibile est. Etenim ens a se habet rationem sufficientem exsistentiae in essentia sua (§ 31), consequenter per essentiam ipsius intelligitur, cur exsistat (§ 56 Ontol.) atque adeo ideo exsistit, quia habet hanc essentiam. Enimvero per essentiam ens possibile est (§ 153 Ontol.), ita ut essentia possibilitas ejus intrinseca absolvatur (nota § cit.). Ens igitur a se exsistit quia possibile. Ens a se nullum exsistendi initium habet. Etenim ens a se necessario exsistit et ejus exsistentia absolute necessaria est (§ 32). Quamobrem simpliciter impossibile ut non exsistat (§ 279 Ontol.). Ponamus igitur esse aliquod exsistendi initium; necesse erit, ut

antea non exstiterit, consequenter non impossibile est, ut non exsistat; quod quum repugnet demonstratis absurdum est adeoque ens a se nullum exsistendi initium habet. Ens a se nullum exsistendi finem habet. Ponamus enim ipsum habere exsistendi finem. Non igitur simpliciter impossibile est, ut ens a se non exsistat, consequenter exsistentia ejus necessaria non est (§ 279 Ontol.), quod quum sit absurdum (§ 32) ens a se nullum exsistendi finem habere potest. Ens a se nec ortum est nec interire potest. Etenim ens a se exsistendi initium non habet (§ 35). Sed quod oritur exsistere incipit, quum antea non exsisteret (§ 541 Ontol.), adeoque exsistendi initium habet. Ens igitur a se ortum non est. Quod erat primum. Similiter ens a se nullum exsistendi habet finem (§ 36). Sed quod interit exsistere desinit, quum antea exsisteret (§ 541 Ontol.), adeoque exsistendi finem habet. Ens igitur a se interire nequit. Quod erat secundum. Ens a se annihilari nequit. Ponamus igitur, si fieri potest, ens a se annihilari. Exsistere igitur desinit, quum antea exsisteret, ita ut nihil ejus amplius actu supersit (§ 540 Ontol.), consequenter interit (§ 541 Ontol.). Enimvero ens a se interire nequit (§ 37). Ergo nec annihilari potest. Exsistentia nec initium nec finem habens dicitur Aeternitas, unde Aeternum appellatur, quod nec initum nec finem habet exsistendi, seu si nullum assignari potest tempus, quo exsistere coepit et quando exsistere desinet. Ens primum dicitur ante quod non exstitit aliud. Ens ultimum vero appellatur, post quod non exsistet aliud. Ens a se est ens primum et ultimum. Ens enim a se nullum exsistendi initium habet (§ 35). Impossibile itaque est, ut ante ipsum exstiterit ens quoddam aliud. Ens praeterea a se rationem sufficientem exsistentiae suae in essentia sua habet (§ 31), quumque sit ens necessarium (§ 33) vi entis alterius ad exsistendum non indiget adeoque ne nostro quidem concipiendi modo spectari potest aliquod ens tamquam ante ipsum exsistens. Erit igitur ens primum. Quod erat unum. Similiter ens a se nullum exsistendi finem habet (§ 36). Impossi-

bile igitur est, ut post ipsum, hoc est ubi exsistere desiit ens aliquod exsistat. Est igitur ens ultimum. Quod erat alterum. *Ortus et interitus essentiae entis a se repugnat.* Ens enim a se rationem sufficientem exsistentiae suae in essentia sua habet (§ 31) adeoque essentia ipsius posita ponitur etiam exsistentia ipsius (§ 118 Ontol.) consequenter eadem salva non-exsistentia poni nequit (§ 28 Ontol.). Non-exsistentia igitur essentiae entis a se repugnat (§ 310 Logica). Enimvero quum illud oriatur, quod exsistere incipit, quum antea non exsisteret, ex adverso autem intereat, quod exsistere desinit quum antea exsisteret (§ 541 Ontol.) ortus et interitus non-exsistentiam involvit. Uterque igitur essentiae entis a se repugnat. *Ens a se non est ens compositum.* Etenim ens a se per essentiam suam oriri et interire nequit (§ 46). Enimvero ens omne compositum oriri et interire potest (§ 542 Ontol.). Ens igitur a se compositum esse nequit. *Ens a se extensum esse nequit et quod est extensum a se esse nequit.* Ens enim a se non est compositum (§ 47) adeoque partes a se invicem distinctas non habet (§ 531 Ontol.), consequenter quum extensum omne habeat partes, quarum unaquaeque extra alteram exsistit (§ 549 Ontol.) ens a se extensum esse nequit. Ex adverso quod extensum est habet partes quarum unaquaeque extra alteram exsistit (§ 549 Ontol.) adeoque ens compositum est (§ 531 Ontol.). Quare quum ens a se compositum esse non possit (§ 47) nec quod extensum est a se esse potest. *Ens a se est ens simplex.* Ens enim a se compositum esse nequit (§ 47) adeoque nullas prorsus habet partes (§ 531 Ontol.). Est igitur ens simplex (§ 673 Ontol.). *Mundus adspectabilis non est ens a se.* Mundus enim hic adspectabilis est ens compositum (§ 62 Cosmolog.); sed ens a se compositum esse nequit (§ 47). Mundus igitur hic adspectabilis non est ens a se. *Mundus adspectabilis est ens ab alio.* Mundus adspectabilis non est ens a se (§ 50) adeoque vi propria non exsistit (§ 27). Quoniam igitur vi alterius indiget ut exsistat, ab alio sit necesse est (§ 27). *Elementa rerum*

materialium non sunt entia a se. Quoniam enim corpora omnia sunt elementorum aggregata (§ 176 Cosmol.), corpora quoque ex quibus tamquam partibus componitur mundus (§ 119 Cosmol.) consequenter mundus ipse exsistere nequit, nisi exsistant elementa. Et quia si alius mundus aeque possibilis ac is qui exsistit (§ 101 Cosmol.) exsistere deberet elementa alia exsistere deberent (§ 570 Cosmol.) hisce exsistentibus elementis mundus alius quam hic exsistere nequit. Quamobrem quum mundus hic adspectabilis non sit ens a se (§ 50) consequenter nec ens necessarium (§ 33) nec elementa rerum materialium entia necessaria, consequenter nec entia a se sunt. Atomi materiales non sunt entia a se. Atomus enim materialis est particula in se divisibilis, sed cui dividendo nullae in rerum natura causae exsistunt (§ 168 Cosmol.), unde consequitur figurae immutabilitas, quum sine divisione mutatio figurae concipi non possit, et vi continuitatis absoluta densitas. Determinationes adeo intrinsecae sunt continuitas, partium actualium exclusio, figura ac moles immutabilis, indivisibilitas ex defectu dividentis, absoluta densitas. Sed quidquid horum cogites, sive etiam omnes istas determinationes simul perpendas, non tamen intelliges, cur atomi materiales exsistere debeant. Quamobrem quum determinationum istarum aliae in numero essentialium, aliae in attributorum numero sint (§ 143, 146 Ontol.) in essentia atomorum materialium ratio exsistentiae non continetur (§ 56 Ontol.). Non igitur sunt ens a se (§ 31). Materia indivisa seu uniformis non potest esse ens a se. Etenim in materia indivisa seu uniformi ob continuitatem non distinguuntur nisi partes possibiles et praeterea eidem tribuitur divisibilitas. Sed neque per uniformitatem neque per partium actualium exclusionem neque per continuitatem neque per divisibilitatem intelligi potest, cur istiusmodi extensum necessario exsistere debeat. Unde eodem quo in propositione praecedente modo patet, materiam indivisam seu uniformem non posse esse ens a se. Mundus adspectabilis non est ens necessarium, sed contingens. Mundus enim adspecta-

bilis non est ens a se (§ 50). Quamobrem quum ens necessarium sit ens a se (§ 33) mundus hic adspectabilis ens necessarium esse nequit. Quod erat unum. Porro quum mundus hic adspectabilis sit ens ab alio (§ 50), vi alterius indiget ut exsistat (§ 27), consequenter per ea quae ipsi insunt non intelligitur cur potius exsistat quam non exsistat atque ideo rationem exsistentiae suae in se non continet (§ 50 Ontol.). Est igitur contingens (§ 110 Cosmol.). Quod erat alterum. Elementa rerum materialium sunt entia ab alio et contingentia. Neque enim entia a se sunt (§ 52). Unde eodem quo in superius (§ 51) modo patet, quod sint ab alio. Quod erat primum. Et quum ex iis quae in propositione praecedente demonstrata sunt pateat, ex eo quod quid sit ab alio deduci quod sit res contingens, elementa quoque in numerum entium contingentium referenda veniunt. Quod erat secundum. Non impossibile est mundum hunc adspectabilem et ejus elementa non exsistere. Mundus enim adspectabilis ens contingens est (§ 55) adeoque necessarium non est (§ 311 Ontol.), consequenter ejus exsistentia absolute necessaria non est (§ 309 Ontol.). Non igitur impossibile est, mundum hunc adspectabilem non exsistere (§ 279 Ontol.). Quod erat unum. Elementa entium materialium sunt entia contingentia (§ 56), unde eodem quo ante modo patet, non esse impossibile, ut elementa non exsistant. Quod erat alterum. Mundus cum elementis suis non potest esse ens a se, sed ens ab alio est. Contingentia enim in mundo non habent rationem sufficientem actualitatis suae in serie successivorum, sed in ente extra ipsam seriem constituto eoque necessario (§ 90 Cosmol.). Quamobrem mundus hic exsistere non potest nisi exsistat ens aliud necessarium ab ipso diversum. Indiget adeo vi alterius ad exsistendum, consequenter non est ens a se (§ 27). Et quia rationes ultimae eorum, quae in rebus materialibus deprehenduntur in elementis continentur (§ 191 Cosmol.), consequenter rationes ultimae successionis in mundo adspectabili continentur in mutatione status elementorum interni

(§ 197 Cosmol.), haec vero sufficiens non est (§ 90 Cosmol.); igitur nec elementa exsistere possunt nisi exsistente ente necessario ab ipsis diverso. Indigent igitur et ipsa vi alterius ad exsistendum adeoque entia a se non sunt (§ 27). Quoniam adeo mundus cum suis elementis exsistere nequit, nisi exsistat ens necessarium adeoque vi alterius indiget ad exsistendum, per demonstrata necesse est, eum cum elementis suis esse ens ab alio. Anima non est ens a se. Anima enim per essentiam et naturam suam sibi repraesentat hoc universum (§ 66, 67 Psychol. empir.) et universi hujus ideam continuo quoad omnes status (§ 190 Psychol. rat.) etiam in somno producit (§ 191 Pychol. rat.). Quemadmodum vero alii mundi possibiles sunt, in quibus ad actum deducerentur possibilia, quae in praesente actum non consequuntur (§ 101 Psychol. rat.) hae animae ideo exsistunt, quia hic exsistit mundus et huic mundo coëxsistunt, quia hanc habet essentiam atque naturam. Quamobrem quum impossibile non sit, mundum hunc adspectabilem non exsistere (§ 57) nec impossibile erit, has animas non exsistere. Non igitur exsistunt necessario (§ 279 Ontol.), consequenter necessariae non sunt (§ 309 Ontol.). Quamobrem nec entia a se esse possunt (§ 33). Non omne ens simplex est ens a se. Etenim animae humanae sunt entia simplicia (§ 48 Psychol. rat.) et in horum numero etiam sunt elementa rerum materialium (§ 182 Cosmol.). Enimvero nec animae humanae (§ 59) nec elementa rerum materialium sunt entia a se (§ 52). Non omne igitur ens simplex est ens a se. Anima est ens ab alio idemque contingens. Etenim non est ens a se (§ 59) adeoque vi propria non exsistit (§ 27), consequenter vi alterius exsistere debet seu ea ad exsistendum opus habet (§ 53 Ontol.). Est igitur ab alio (§ 27). Quod erat unum. Quoniam anima ab alio est per demonstrata, vi propria exsistere nequit (§ 27), consequenter non est ens necessarium (§ 26) adeoque contingens (§ 311 Ontol.). Quod erat alterum. Ens a se diversum est a mundo, elementis et animabus nostris. Etenim ens a se continet in essentia sua rationem sufficientem

exsistentiae suae (§ 31). Mundus, elementa et animae humanae quum non sint entia a se (§ 50, 52, 59), nec rationem exsistentiae suae in essentia sua continent. Quamobrem essentia entis a se diversa est ab essentia mundi, elementorum et animarum (§ 183 Ontol.), nimirum id unde pendet necessitas in exsistendo essentiis illorum entium commune non est cum essentia entis a se. Ens igitur a se diversum esse debet a mundo, elementis et animabus nostris. Ens ab alio non continet rationem sufficientem exsistentiae suae nisi in ente a se. Si neges, contineat ens ab alio rationem sufficientem exsistentiae in ente quod itidem est ab alio. Quoniam ens ab alio indiget vi alterius ut exsistat (§ 27) veluti vi entis A nondum intelligis, cur ens primum ab alio exsistat, nisi ubi constet cur exsistat A et sic porro in infinitum. Quamobrem fieri non potest ut perveniatur ad rationem sufficientem, quamdiu in ente ab alio subsistis (§ 56 Ontol.). Enimvero quum ens a se non indigeat vi alterius ut exsistat (§ 27) adeoque ens omne vel sit a se vel ab alio (§ 53 Ontol.), ratio vero sufficiens exsistentiae entis ab alio non continetur in ente quod itidem ab alio est per demonstrata necesse est ut contineatur in ente a se (§ 70 Ontol.). Quoniam mundus hic adspectabilis (§ 51), elementa rerum materialium (§ 56) et animae humanae sunt entia ab alio (§ 61), entia vero ab alio rationem sufficientem exsistentiae suae non agnoscant, nisi in ente a se (§ 63) mundus hic adspectabilis, elementa rerum materialium et animae humanae rationem sufficientem exsistentiae suae non habent nisi in ente a se. Enti a se talia tribuenda sunt praedicata, qualia ad hoc requiruntur, ut intelligatur, cur hic potius mundus adspectabilis cum elementis suis quam alius et hae potius animae quam aliae exsistant. Etenim ens a se continet rationem sufficientem, cur hic potius mundus adspectabilis cum elementis suis quam alius et hae potius animae, quam aliae exsistant (§ 64). Per ea igitur, quae enti a se insunt, intelligatur necesse est, cur hic mundus

cum elementis suis et animae humanae hae potius exsistant, quam mundus alius aliaeque animae humanae, imo simpliciter, cur hic mundus cum elementis suis et animabus humanis exsistat potius quam non exsistat (§ 56 Ontol.). Quamobrem enti a se ea tribuenda sunt praedicata, sine quibus non intelligitur, cur hic mundus adspectabilis cum suis elementis hisque animabus exsistat potius, quam alius cum animabus aliis. Si exsistentiae mundi adspectabilis et animarum humanarum ratio in ente uno quod a se est reperiri potest plura admitti non possunt. Neque enim novimus praeter mundum adspectabilem, quem si ab imaginatione discesseris ab elementis suis separare minime licet quemadmodum jam supra ostendimus et animas humanas hunc sibi mundum per essentiam et naturam suam repraesentantes (§ 66, 67 Psychol. rat.) et horum exsistentiae rationem sufficientem quaerimus in ente aliquo quod a se est (§ 64). Quamobrem, si per ea, quae enti uni a se insunt, cur hic mundus adspectabilis cum animabus humanis exsistat intelligitur, ens hoc unum sufficit ut exsistant (§ 56 Ontol.), consequenter quia exsistentiam istiusmodi entis propterea admittimus, quod eo admisso intelligimus cur hic mundus cum animabus humanis exsistat (§ 65), praeter ipsum aliud gratis admitteretur adeoque admitti nequit. Per Deum intelligimus ens a se in quo continetur ratio sufficiens exsistentiae mundi hujus adspectabilis et animarum nostrarum. Definitio nominalis Dei quod sit ens a se in quo continetur ratio sufficiens mundi hujus adspectabilis exsistentiae, est Scripturae sacrae conformis, seu eadem est quam Scriptura sacra supponit. Etenim nemo ignorat Scripturam sacram his inchoari verbis (Genes I 1): In principio creavit Deus coelum et terram. Nemo ignorat libros a Mose conscriptos esse lingua Hebraica. Constat vero Hebraeis non fuisse vocabulum, quo mundum tamquam nomine suo insignirent. Quamobrem mundum appellaturi coelum dixere atque terram. Verba igitur Scripturae initialia ita vertuntur: In principio creavit Deus

mundum, hunc scilicet adspectabilem, quia de hoc non alio mundo loqui Mosen manifestum est. Affirmat vero, Deum creasse mundum, consequenter mundus non exsistit necessario adeoque nec in se continet exsistentiae suae rationem (§ 309 Ontol.) sed in Deo. Ait porro Moses, Deum creasse mundum in principio, hoc est quando nondum erat ens ab alio, nihil scilicet praeter Deum. Quum adeo Deus exsisteret, antequam quidquam inciperet, quod ab alio erat, nesesse est Deum esse ens a se (§ 27). Ex contextu igitur patet, in Scriptura sacra supponi, Deum esse ens a se, in quo contincter ratio sufffciens exsistentiae mundi hujus adspectabilis, consequenter eandem supponi definitionem Dei nominalem, quam nos praemisimus (§ 67). Datur Deus. Datur enim ens a se (§ 29) et in eo ratio sufficiens continetur, cur mundus hic adspectabilis cum elementis suis et animabus humanis exsistat (§ 64). Quamobrem quum vocabulo Dei consentiente Scriptura sacra (§ 68) indigitetur ens a se, in quo continetur ratio sufficiens exsistentiae mundi hujus adspectabilis et animarum humanarum (§ 67) Deus datur. Deus vi propria exsistit, independenter ab omni alio ente et sibimet ipsi sufficit ad exsistendum, Deus enim est ens a se (§ 67). Vi igitur propria exsistit (§ 27) et quidem independenter ab omni alio (§ 30) ac sibimet ipsi ad exsistendum sufficit (§ 26). Exsistentia Dei est absolute necessaria. Deus enim est ens a se (§ 67). Quamobrem quum ens a se necessario exsistat et ejus exsistentia absolute necessaria sit (§ 32), Deus necessario exsistit et ejus exsistentia est absolute necessaria. Impossibile ergo est, Deum non exsistere, ut adeo non sit absurdius, quam negare exsistentiam ejus, qui non potest non exsistere. Deus per essentiam suam exsistit. Deus enim ens a se est (§ 67). Enimvero ens a se rationem sufficientem exsistentiae suae in essentia sua habet (§ 31). Quamobrem et Deus in eadem exsistentiae suae rationem sufficientem habet; consequenter posita essentia divina ponitur simul exsistentia ipsius (§ 118 Ontol.). Exsistit ergo per essentiam suam. Hinc apparet cur exsistentia Dei sit

absolute necessaria. Fluit enim ex essentia divina per propositionem praesentem. Quae vero ex essentia fluunt sunt absolute necessaria. Atque adeo necessitas exsistentiae per essentiam infertur.

Huic demonstrationi adjungenda nobis est altera, quam idem vir doctissimus his fere verbis proponit [3]). Realitas in gradu absolute summo possibilis est. Quoniam realitas est quidquid enti alicui vere inest (§ 5), ens autem omne possibile est (§ 135, 136 Ontol.) realitatem omnem in dato quodam gradu, aut si mavis praeciso gradu spectatam possibilem esse patet. Jam gradus summus realitatis omnem excludit defectum (§ 11) adeoque nihil ad eandem quomodocumque pertinens de ea negari potest. Impossibile igitur est, ut de realitate in gradu absolute summo idem et affirmari et negari debeat. Quoniam contradictio in simultanea ejusdem affirmatione et negatione consistit (§ 30 Ontol.), realitatem in gradu absolute summo spectatam nullam involvere posse contradictionem evidens est. Quod nullam involvit contradictionem possibile est (§ 85 Ontol.), realitas igitur in gradu absolute summo est possibilis. Ens perfectissimum possibile est. Demonstratur eodem prorsus modo quo propositio praecedens. Nimirum ens perfectissimum continet omnes realitates in se compossibiles (§ 6). Quoniam itaque compossibiles sunt, quae uno eidemque subjecto inesse possunt (§ 1), nulla realitas de ente perfectissimo ideo neganda venit, quod altera inesse ponitur; consequenter quum in simultanea affirmatione et negatione ejusdem contradictio exsistat (§ 30 Ontol.) notio entis perfectissimi quoad realitates exsistentes nullam contradictionem involvit. Insunt autem realitates enti perfectissimo in gradu absolute summo (§ 6); consequenter omnem prorsus excludunt defectum (§ 11). Quoniam itaque nihil ad easdem quomodocunque pertinens negari potest, contradictio vero non nisi in simultanea ejusdem affirmatione et negatione consistit (§ 30 Ontol.) nec notio entis perfectissimi quoad gradum realitatum contradictionem quandam involvere potest. Quodsi notio entis

3) cf. Wolfii: Theologia naturalis Pars II § 12—21.

perfectissimi contradictionem quandam involveret, aut eam involveret quoad realitates quae eidem insunt, aut quoad gradum qui de istis sumitur, quemadmodum ex definitione claret (§ 6). Quare quum neutro modo contradictionem involvat per demonstrata eam nullam prorsus involvere evidens est. Quod contradictionem nullam involvit possibile est (§ 85 Ontol.), notio igitur entis perfectissimi, consequenter ens perfectissimum ipsum possibile est. Deus est ens perfectissimum scilicet absolute tale. Definitio haec Dei nominalis est, quemadmodum ea qua in systemate nostro usi sumus (§ 67 Pars I). Ejusdem enim entis plures dari possunt definitiones nominales ut ex. gr. Mathesis docet. Quoniam Deus ens perfectissimum est (§ 14) ens autem perfectissimum omnes realitates compossibiles in gradu absolute summo continet (§ 6) Deus realitates omnes compossibiles in gradu absolute summo continet seu omnes realitates in gradu absolute summo Deo insunt. Similiter, quia ens perfectissimum prorsus illimitatum est (§ 7) nec ulli prorsus in eodem dantur limites (§ 8), Deus vero ens perfectissimum est (§ 14), Deus prorsus illimitatus est nec ulli prorsus in eo dantur limites. Propositio haec maximi momenti est, quum faciat ad Deum a rebus ceteris discernendum, ut paullo post constabit. Porro quum ens perfectissimum prorsus immutabile (§ 9) Deus autem ens perfectissimum sit (§ 14) Deus utique prorsus immutabilis est. Quod de propositione praecedente monuimus, idem quoque de praesente tenendum. Quoniam Deus ens perfectissimum (§ 14), ens autem perfectissimum infinitum est (§ 10), Deus est infinitus. Denuo ad infinitudinem trahenda sunt, quae de carentia limitum annotavimus (not. § 16). Retinenda autem infinitudinis definitio, quam in philosophia prima dedimus (§ 838 Ontol.) et supra (§ 10) ad ens perfectissimum applicavimus [4]). Sane si per infinitudinem Deum

4) § 10 haec verba legimus: Enimvero ens illud infinitum est, in quo omnia simul sunt quae eidem actu inesse possunt. Contra illimitatum est (§ 4) quo majus concipi nequit.

ab aliis entibus distinguere volueris, maxime elucescet utilitas, infinitum reale ab illimitato distinguendi, sit ita quod infinitudo limitum absentiam in ente aliquo supponat. Denique quum ens perfectissimum possibile (§ 13) Deus autem ens perfectissimum sit (§ 14), Deus quoque possibilis est. Nimirum istiusmodi ens, quale Deum esse diximus (§ 14) possibile est nec nisi temere affirmatur, notionem Dei esse fictam Deumque inter chimaeras referendum, quemadmodum impie nugantur Athei. Exsistentia necessaria et contingens realitas est eaque gradus absolute summi. Etenim ens necessarium exsistit. (Pars I § 24). Quoniam itaque realitas quidquid enti vere inest, non vero tantummodo per confusas perceptiones inesse videtur (§ 5) quin exsistentia necessaria realitas quaedam sit dubitari nequit. Successiva in mundo sunt contingentia (§ 80 Cosmol.). Quamobrem quum contingens sit quod necessarium non est (§ 294 Ontol.) adeoque entis contingentis exsistentia non sit absolute necessaria (§ 309 Ontol.), exsistentia quoque non necessaria sive contingens realitas est (§ 5). Quod erat secundum. Enimvero quia omne ens vel necessarium est vel contingens (§ 311 Ontol.) adeoque exsistentia omnis vel necessaria vel non necessaria sive contingens (§ 309, 310 Ontol.), praeter exsistentiam necessariam et contingentem alia concipi nequit. Et quoniam exsistentia contingens hypothetice necessaria est (§ 316 Ontol.), gradus vero est id, quo qualitates eaedem, in quarum numero exsistentiam quoque esse constat (§ 452 Ontol.) differre possunt (§ 746 Ontol.) in exsistentia gradus concipi nequeunt quam quoad necessitatem exsistendi. Jam exsistentia necessaria est, vi cujus impossibile, ens non exsistere (§ 279 Ontol.) quum vi contingentis etiam non exsistere possit (§ 294 Ontol.). Major itaque exsistentiae gradus concipi nequit, quam qui exsistentiae necessariae convenit, consequenter ea gradus absolute summi est. Enimvero eadem quoque realitas per numerum I. Est igitur realitas gradus absolute summi. Quod erat tertium. Deus necessario exsistit. Deus enim continet omnes realitates compossibiles in gradu absolute summo

(§ 15). Est vero idem possibilis (§ 19). Quamobrem quum possibile exsistere possit (§ 133 Ontol.), exsistentia eidem inesse potest; consequenter quum sit realitas (§ 20) et realitates compossibiles sint, quae enti una inesse possunt (§ 1), in realitatum compossibilium numero est. Jam porro exsistentia necessaria est gradus absolute summi (§ 20). Deo igitur competit exsistentia necessaria, seu quod perinde est, Deus necessario exsistit.

Ipse auctor ambo quas proposuit demonstrationes ejusdem generis esse censet, quum illam, ait (Part II praefat.) quam supra explicavimus vulgo a priori factam dici. Enimvero quum constare nequeat, quale sit ens perfectissimum nisi quatenus ex realitatibus quae insunt animae colligas attributa divina, Deo nimirum illimitatas tribuendo quae in ipsa limitatae deprehenduntur, et per modum actus quae per modum facultatum insunt, rectius dici poterat, exsistentiam Dei hoc pacto ex comtemplatione animae demonstrari. Ex notione igitur entis perfectissimi exsistentiam veri Numinis demonstrare idem est ac eandem ex contemplatione animae nostrae derivare sicque demonstratio non minus a posteriori procedit, quam si ex contemplatione mundi hujus adspectabilis derivatur, quemadmodum in parte prima fecimus. Nos utramque demonstrationem ontologicam appellavimus, quia prior ex notione entis necessarii, posterior ex entis perfectissimi notione exsistentiam Dei probare studet. Et illa quidem philosopho nostro propria esse videtur; certe entis necessarii notionem ante Wolfium nemo quasi fundamentum argumentationi suae substruxit. Apparet vero, hanc demonstrationem una tantum ex parte Dei notionem contemplari, non totam numinis divini essentiam complecti, quo fit, ut nimis abstracta esse videatur. Altera, qua Dei exsistentia e notione entis perfectissimi derivatur demonstratio, ut ipse auctor (nota § 13) dicit cum Anselmi et Cartesii argumento convenit, nisi quod Wolfius exsistentiam entis perfectissimi possibilem esse magno sane acumine demonstrare studet. Quodsi hic quoque philosophus exsistentiam esse realitatem (§ 21) imo qua-

litatem (§ 20) proponit, quum omnium potius realitatum principium sit, jam saepius de hac re locuti judiciumque nostrum professi sumus.

Wolfii vestigia quod attinet ad argumentum ontologicum maxime persecutus est Joannes Georgius Sulzerus Helveticus, qui natus Winterthurii in oppido pagi Tigurini anno 1720 diu Magdeburgii tum Berolini magister publicus vixit et hac in urbe anno 1779 e vita excessit. Ejus viri scripta varii argumenti defuncto jam auctore in lucem prodierunt [5]) e quibus dissertatio, quae inscribitur: Explicatio notionis entis aeterni [6]) germanica lingua argumentum pro Dei exsistentia hoc modo proponit: Quamvis realitatem notionis quam de ente aeterno concipimus concessam ponere possemus, quandoquidem ab omnibus philosophis et antiquis et recentioribus agnoscitur, disquisitionem tamen nostram incipiemus a demonstratione quam veteres jam ad firmandam illam veritatem: quod ens aliquod exsistit cujus exsistentia nullum prorsus initium habuit proposuerunt. Quae demonstratio innititur principio experientiae: quod aliquid exsistit et principio rationis: quod ex nihilo nihil fit. Ex his duobus principiis sequitur, quod aliquid semper exstiterit; nam si contra contenderemus, nos a saeculo ad saeculum adscendentes tandem ad tempus quoddam perventuros esse, ante quod nihil adhuc exstiterit, ex hac propositione necessario, quod plane apertum est, sequeretur, quod itaque etiam hodie nihil exsisteret, quia impossibile est, illud nihil quod ante hoc tempus ponitur quidquam ad exsistendum produxisse. Haec igitur praesumtio omnino rejicienda est adeoque semper aliquid exstitit. Neque quisquam adhuc quin hoc verum sit dubitavit. Qua autem propositione concessa hoc quoque concedatur necesse est: quod

---

5) cf. Sulzeri, J. G.: Scripta philosophica varii argumenti tom I ed 2. Lipsiae 1782. Scripta varii argumenti cum commentario de auctoris vita Lipsiae 1781.

6) cf. l. c. tom I. p. 378 sqq.

unum certe ens exsistit vel exstitit, cujus exsistentia extra hoc ipsum ens nullam aliam causam efficientem habuit. Quod enim semper exstitit procreatum non est adeoque exsistentia ejus causae extra ipsum positae effectus esse nequit. Quam veritatem et immediate demonstrare possumus. Etenim si quis dicat, quaecunque exsistunt vel exstiterunt ab externa causa ad exsistendum producta esse, is eo ipso contendit, nihil sive non ens hanc exsistendi causam esse. Nam praeter id quod exsistit et exstitit omnino aliud quam nihil amplius non datur. Itaque quum notionem entis aeterni *realem* esse demonstratum sit, jam ad hoc operam navare debemus, ut recte eam explicemus et omnes quae necessario ex ea sequuntur veritates inveniamus. Exsistere et independenter quidem ab omni alio ente exsistere, hae duae qualitates sunt quas enti aeterno sine dubio tribuere debemus. Jam quid est *esse* sive *exsistere?* Exsistentia primo adspectu in numero simplicium illarum notionum esse videtur, quae omnino definiri adeoque explicari nequeunt. Equidem hic veram hujus notionis explicationem proponere non pollicemur; clare tamen et sine dubio sentimus, permagnum esse discrimen inter *ens vere exsistens* et illud quod tantum in idea nostra exsistit quodque *ens cogitationis* appellabimus. Jam disquiremus, qua in re hoc discrimen positum sit. *Ens cogitationis* est commentum et umbra quasi sine corpore. Est ens, quo praesente nihil mutatur, quod ad aliquid efficiendum nullam vim habet nullumque in rerum natura eventum producit, quod nullis ipsius viribus resistentibus immutare vel in alium locum transferre possumus. *Ens vere exsistens* est illud, quod actuosis ipsius viribus impedit, quominus immutare aut etiam tollere possimus, cui itaque et ipsae vires actuosae inesse debent, per quae exsistit, quod apparere jam debet ex illa propositione: ex nihilo nihil fit; haec enim aperte nullam rem sine causa efficiente exsistere ponit. Sequitur inde quia vidimus, ens aeternum independenter ab omnibus aliis rebus extra ipsum exsistere haec propositio: *ens aeternum proprio suo vigore* (id quod Graeci dicunt

ἐνεργεία) propria naturae suae vi exsistit sive quia ad naturam suam pertinet exsistere hoc est necessario exsistit. Quae idea summam profecto efficit admirationem, ens enim tale omnes notiones nostras longe superat. Sed res est maximi momenti, in qua omnes nostrae entis aeterni perceptiones nituntur adeoqne permultum interest, ut priusquam longius progrediamur dubium quoddam quod hic oriri posset refellamus. Vidimus itaque, dari aliquod ens, quod naturae suae vi adeoque necessario exsistit. Scimus etiam, contrarium esse si ponamus quod aliquid non exsistat, quum tamen necessarium sit. Si igitur ponamus, id quod exsistit non exsistere haec propositio contradictionem involvat necesse est, quia unum certe ens est, quod necessario exsistit. Jam hoc a nobis postulari posse videtur, ut directo probemus, absurdam et impossibilem esse hanc propositionem. Cur enim, fortasse quispiam dixerit, absurdum esset cogitare quaecunque nunc efficacia sunt nullum amplius producere effectum? Quando autem possibile est, ut omnis effectus esse desinat, tum profecto nihil datur, quod necessario efficax sit neque adeo ens necessarium, quia hoc effectum necessarium ponit. Ad hanc difficultatem tollendam respondemus: necesse esse si contradictionem aliquam deprehendere velimus, ut duae sint notiones positivae, quarum altera alteram tollit. Habemus ideam circuli quae positiva est et ideam quadrati, quae non minus positiva est. Quodsi ideam circuli formamus ideam quadrati delemus eoque ipso comprehendimus, impossibile esse, ut hae duae ideae uni eidemque subjecto competant. Jam vero idea non-exsistentiae nihil positivi in se continet adeoque animadvertere non possumus, absurdam eam esse. Apparet igitur, ideam possibilis et impossibilis ne adhiberi quidem hic posse, quia utraque duas res certas postulat quae inter se conjungi vel possunt vel nequeunt. Si illud ponimus, possibilitas efficitur, si hoc impossibilitas. Merae igitur negationis vel rei, quae nihil certi continet neque possibilitas neque impossibilitas contendi potest; utraque idea prorsus hic adhiberi nequit. Dicimus igitur has duas propositiones:

nihil est possibile et nihil est impossibile neque veras neque falsas, mera vocabula sine ulla significationis vi esse. Qui itaque praetenderet, se possibilitatem nihili absoluti vel non-exsistentiae ejus quod re vera exsistit comprehendere, nullam his verbis significandi vim tribueret nec ullo modo veritati quod est ens necessario exsistens occurreret. Si vera hujus entis exsistentia circuitione quadam sive ut dici solet a posteriori probatur, haec demonstratio aeque indubitata est ac si directo sive a priori probata esset. Exsistit igitur ens, cujus non-exsistentia contradictionem involvit, etsi eam animadvertere vel directo agnoscere non possimus. Nec ullum huic veritati detrimentum afferre potest, quod eam comprehendere non valeamus; veritas experientiae est aeque ac veritas nostrae ipsius exsistentiae, quam similiter non comprehendere quidem neque tamen ullo modo in dubium vocare possumus.

Praeclarum sane est acumen, quo hic auctor praecipue entis aeterni notionem explicavit. Exsistentiam vero hujus entis ut ita loquamur realem nullo modo probavit. Hoc unum, si sententiam nostram rogare nos velis, ad excolendum argumentum ontologicum contulisse videtur, quod sagacissime profecto demonstravit, meri nihili ideam a nobis re vera cogitari, aut si mavis comprehendi non posse, id quod maximi quidem momenti est, sed veram Dei exsistentiam probare haud sufficit.

CAPUT VI.

Moses Mendelsohnius.

Inter eos, qui quum de omnibus philosophiae studiis, tum imprimis de excolendo ontologico pro Dei exsistentia argumento optime meriti sunt, non praetermittendus nobis est celeberrimus ille vir, qui quamvis christianae fidei non addictus sincera tamen pietate, egregia liberalitate, maximo ne dicam nimio omnium scientiae disciplinarum ardore praeditus erat. Is erat Moses Mendelsohnius, qui natus Dessaviae ante diem VIII Idus Septembres anni 1729 a parentibus Judaicis jam inde a pueris insignes ingenii facultates magnumque discendi studium praestabat, quod a praeceptore Fraenkelio magistro Judaico diligentissime excolebatur. Quem Berolinum emigrantem Mendelsohnius quamvis admodum juvenis et haud opulentus secutus est, ut eruditione ejus porro uteretur. Ibi quum ipse satis eruditus esset primum praeceptor domesticus Bernhardi cujusdam negotiatoris et domini officinae sericorum, deinde anno 1754 procurator hujus mercaturae, cui mox ob infirmam Bernhardi valetudinem solus praeerat, denique post Bernhardum defunctum ab ejus vidua consors socius factus est, ita ut tempus suum inter mercaturae negotia cultumque litterarum divideret. Quo factum est ut ipse quoque mox ob nimios et corporis et animi labores magna ad aegrotandum proclivitate afflictaretur et praematura morte pridie nonas Januarias anni 1786 diem supremum obiret.

Hic vir de argumentis pro Dei exsistentia praelectiones coram filiis suis adolescentibus nonnullisque familiaribus horis matutinis habuit easque anno 1785 typis describendas curavit, quae germanice scriptae et argumentum ontologicum hunc in modum proponunt [1]: Praeter immediatum propriae meae exsi-

[1] cf. Mendelsohnii Mosis: Scripta omnia edidit Professor Dr. G. B. Mendelsohn VII voll. Lipsiae 1843. voll. II. Horae matutinae sive praelectiones de exsistentia Dei. p. 377 sqq.

stentiae sensum, qui sicut vidimus omnem dubitationem superat, hanc quoque animadversionem indubitatam pono: Ego non id modo sum quod clare de me cognosco, sive quod idem est, ad exsistentiam meam plura pertinent quam quorum conscius mihi sum quaeque de me cognosco per se ipsa amplioris et explicationis et perspicuitatis et integritatis quam quae equidem iis tribuere valeam capacia sunt. Quae quidem observatio non minus summae evidentiae mihi esse videtur. Quum animadversio sit interioris mei sensus, propriam suam habet veritatem quumque quod attinet ad me ipsum proprium meum Ego subjectum quoque cogitationum sit mihi ipsi quoque immediate cognitum velut praedicatum tribui potest. Quod non omnia scio quae ad exsistentiam meam pertinent fraus sensuum vel deceptio esse nequit; primo enim ullum intus cognitum in externum objectum non transferimus; ullas inter se diversorum sensuum affectiones conjungere nolumus, ex saepius facto redeuntem semper eventum concludere in animo non habemus, quae omnia sensuum mendacia progignunt, et tum haec ipsa deceptio probaret, nos a nobismet ipsis non recte cognosci adeoque plura vere nobis inesse, quorum ipsi nobis conscii non sumus. Profecto neque corpus neque anima nostra exsistere possent, si id modo essent, quod distincte de iis intelligimus. Jam dico, non omnes solum res possibiles ut possibiles, sed omnes etiam res vere exsistentes ut exsistentes ab ente quodam cogitante intelligi debere. Quae nullum ens cogitans tamquam possibilia cogitat re vera possibilia non sunt neque adeo quae a nullo ente cogitante tamquam re vera exsistentia cogitantur re vera exsistere possunt. Hinc evidenter sequitur, quod ens quoddam exsistere debeat, quod quaecunque ad exsistentiam meam pertinent distinctissime, clarissime, perfectissime sibi repraesentat. Omnis intellectus imperfectus non omnia contineret, quae ad veram meam exsistentiam pertinent. Nullius omnino entis contingentis vel imperfecti neque omnium simul entium imperfectorum, quamquam eorum numerus infinitus esset intellectus sufficeret, ut sive meam qualitatem sive ullam om-

nino veram exsistentiam perfectissime tamquam vere exsistentem cogitaret. Et profecto quisquis omnis perceptionis quum nexum tum immensam profunditatem vel aliqua ex parte intelligit, concedet nullam earum perfectissime et distinctissime intelligi posse, nisi universa earum summa eodem et veritatis et certitudinis et perfectionis modo intelligatur. Unum igitur ens cogitans, una mens exsistat necesse est, quae non solum me cum omnibus meis et qualitatibus et notionibus et discriminibus, sed omnium etiam possibilium summam possibilem, omnium rerum vere exsistentium summam vere exsistentem, omnium, inquam, veritatum summam nexumque, quam maxima earum potest esse explicatio distinctissime, perfectissime, plenissime sibi repraesentet. Exsistit infinita mens. Enimvero nec intellectum sine efficacia nec perceptionem sine comprobatione vel improbatione nec infinitam mentem sine perfectissima voluntate esse posse jam supra explicatum est. Quam si entis necessarii notionem assecuti sumus, dicere possumus Deum esse necessarium hoc est Dei exsistentiam ex hoc quod eum cogitare possimus sequi et contra ejusdem non-exsistentiam per se ipsam cogitari non posse. Quibus argumentum a priori pro Dei exsistentia innititur, quo ex eo quod cogitari potest, Deum re vera exsistere concluditur; id quod Cartesius jam proposuit, quum ens necessarium, ajebat, nullos fines mutabiles habere potest adeoque ei omnes perfectiones et summo quidem gradu necesse est competant; jam vero exsistentiam esse perfectam rerum qualitatem adparet; ideoque notio necessarii perfectionem quoque exsistentiae continet; ergo ens necessarium re vera exsistat necesse est. Si contra (cum Leibnitio) dicitur: ut ita concludere nobis liceat hunc ad finem id postulari, ut prius demonstratum sit, notionem entis necessarii, infiniti vel perfectissimi verum esse neque notas inter se repugnantes conjungere haec difficultas facile solvenda est. Notae enim inter se repugnantes eae sunt, quarum una negat quod altera ponit. Enimvero de ente necessario omnes veritates ponuntur, omnes vero defectus finesque negantur. Sed omnes perfectiones summo gradu positae, quia secundum ipsam Leibnitii

sententiam praedicata affirmativa sunt, summo etiam gradu inter se consentiunt earumque conjunctio non cogitanda esse nequit. Jam vero si ad omnium perfectionum summam exsistentiam quoque pertinere manifestum est, recte concluditur, quod a notione infiniti sive perfectissimi exsistentia separari nequeat. Sed porro fortasse aliquis dixerit, num hoc modo ex notione entis perfectissimi sola mente percipienda ejus exsistentia recte concludi possit? Primo notiones a sensibus sevocatae arbitrariae non sunt sed veritates saltem continere et tamquam modificationes essentiae nostrae intelligentis veritatem cogitationis habere hoc est cogitari posse debent si eas intelligere velimus. Jam ens finitum, modificatio mei ipsius cogitari potest, etiamsi veram ei exsistentiam non tribuam potest esse mera notio sine re. Ens vero necessarium aut prorsus cogitari nequit aut saltem tamquam exsistens cogitandum mihi est. Enimvero notionem infiniti cogitari posse per se manifestum est. Omnis enim veritas cognosci possit necesse est et quo purior veritas est, eo perfectior mens esse debet, quae eam capit et comprehendit. Jam vero purissimae veritatis notio sine omni dubio cogitari potest; ergo mens sit necesse est, quae sola eam percipere possit adeoque summae mentis notio itidem cogitari potest. Quod denique ad eam quaestionem attinet, num haec summe perfecti notio etiam sine perfectione exsistentiae cogitari queat? licet concedatur exsistentiam non qualitatem praeter ceteras qualitates esse, sed omnes potius qualitates ponere adeoque me in unoquoque ente contingente sive finito hanc affirmationem abesse facere neque tamen ejus ideam tollere posse, quia ipsum contingens aeque esse ac non esse potest et vera ejus exsistentia ex aliis demum rebus veris explicanda est, quia res contingens non omnes notas affirmativas nec earum ullam in summo gradu continet. Ens contra necessarium, quia omnes ipsi notae affirmativae in summo gradu insunt a nobis nisi re vera exsistens cogitari nequit. Neque haec aliqua fortasse humani intellectus angustia est; sed inter se repugnantia quae se ipsa mutuo tollunt a nullo prorsus ente cogitante cogitari possunt; jam vero demonstratum est, hanc

propositionem: ens necessarium (sive perfectissimum) non re vera exsistit cogitari non posse, quia praedicatum utique subjecto repugnat; ergo contraria propositio: ens necessarium re vera exsistit ab omni ente cogitante accipi debet. Jam summam disquisitionis nostrae paucis verbis colligamus. Ut exsistentiam alicujus rei ratione affirmare possimus ejus et veritas et summa bonitas data sit necesse est, illam intellectus hanc comprobatio nostra requirit [2]). Veritas eam notionem, quae cogitari potest et modificationem essentiae cogitantis reddit itaque essentiam ei vel exsistentiam cogitationis tribuit. Summa bonitas rem eam efficit atque re vera exsistentiam ei tribuit. Quidquid est veritatem summamque bonitatem habet, sicut quidquid veritatem summamque bonitatem continet etiam re vera exsistit. Res contingentes veritatem quidem quae ut cogitari possint necessario postulatur, non vero omnibus momentis summam bonitatem habent. Possunt itaque tamquam merae cogitationes sive notiones sive modificationes essentiae cogitantis sine vera rei exsistentia cogitari. Quum tantum secundum quid optimum sint vera rei exsistentia ab hac conditione dependet. Quum primum momenta sive temporis ac loci conditiones postulant, ut res contingens summam assequatur bonitatem, quum primum alicubi et aliquando optimum fit, re vera progignitur et notioni res, exsistentiae cogitationis vera exsistentia respondet. Ens vero necessarium per se ipsum perfectissimum est, a momentis et conditionibus non dependet; non omnia solum in se continet, quae ut cogitari queat postulantur, sed ab unoquoque etiam ente cogitante tamquam vere exsistens cogitari debet; tamquam notio sine re vel modificatio sine propria exsistentia vel res possibilis sine veritate utique intelligi nequit, sed om-

2) cf. praelect VIII. Axioma VI: Igitur si notionem A vere exsistere dicimus, A aut eam ab causam vere exsistit, quia nisi cum hoc praedicata cogitari nequit aut quia aliter approbari et laudari non potest. VII E duabus quae aeque cogitabiles vel possibiles sunt rebus ea tantum vere exsistere potest, quae est optima.

nibus momentis aeque perfectum ac verum aeque necessario exsistens ac necessario possibile et tamquam res non minus quam ut notio necessarium est. Et omnes res contingentes in ejus intellectu necessariae quoad notionem independentes quoad veritatem sunt; sed quod attinet ad bonitatem perfectionemque adeoque veram exsistentiam a tempore et loco dependent. Quum primum Deus ens aliquod contingens alicubi et aliquando optimum esse intelligit res ad exsistentiam pervenit sive Deus eam creat.

Apparet igitur Mendelsohnium hoc sibi proposuisse ut Cartesii argumentum pro exsistentia entis perfectissimi seu necessarii perficeret atque firmaret. Et praeclara nobis videntur, quibus ab altera parte ex indubitata exsistentiae nostrae veritate ab altera ex intellectus nostri imperfectione non ens abstractum sed mentem esse perfectissimam, quae non solum quaecunque ad exsistentiam nostram pertinent, sed omnium omnino veritatum summam clarissime distinctissimeque intelligat concludit. Quamvis haec ad exsistentiam Dei sine dubio probandam non sufficiant. Etsi enim rectissime dictum sit, nec ullum ens cogitans finitum nec etiam universas simul mentes humanas omnium veritatum summam intelligere posse: quid amplius, si quis ponere velit, hoc omnino necesse non esse, ut una eademque mens omnes una veritates intelligat. Satis esse, si hoc ens cogitans has veritates et aliud alias intelligat eaque sane ratione fieri posse, ut omnes simul mentes finitae infinitam omnium veritatum summam comprehendant. Si porro ad alteram demonstrationis partem, qua Cartesium sequitur animum advertimus, Mendelsohnius quidem non sicut ille philosophus exsistentiam perfectionem sive qualitatem rei exsistentis appellat, sed eam aperte praedicatum esse dicit, sine quo ens necessarium nullo modo cogitari possit, nisi contradictionem afferre velimus. Verumtamen quum ipse philosophus exsistentiam potius rei alicujus qualitates ponere quam in earum numero esse concedat, neutiquam demonstratum nobis esse videtur, necesse esse, ut entis perfectissimi sive necessarii notionem cum exsistentiae praedicato cogitemus. Nam perfectissimi alicujus entis perceptionem habere possumus, etsi

nescimus, utrum in intellectu tantum an etiam re vera exsistat. Quod denique de discrimine inter res contingentes atque ens necessarium agit, quum illae veritatem quidem ut cogitari possint sed non omnibus momentis summam bonitatem, ut re vera exsistere debeant contineant, huic vero utique et indubitata veritas et summa bonitas competat, quam ob causam re vera exsistat necesse sit, haec sagacissime quidem disserta sunt et magnam gravissimamque veritatem continent, quae ad religionem imprimis pertinet dignamque sane Dei perceptionem constituit, sed ad argumentum pro Dei exsistentia firmandum nihil conferre nobis videntur.

CAPUT VII.

Kantius et Theologi Kantiani.

Jam pervenimus ad celeberrimum virum, qui quum novam philosophiae viam patefaceret novasque quasi aedes ei exstrueret, hoc imprimis studebat, ut intellectus humani vim et facultatem, in quantum praesertim quoad res sensibus non subjectas sed tantum intelligibiles sine omni dubitatione procedere possit, quos fines ratio humana sibi constituere debeat summa sagacitate perscrutaretur. Is erat Immanuel Kantius, qui natus Regiomontii ante diem decimum Calendas Majas anni 1724 a patre ephippiorum artifice, simpliciter pieque educatus in studia primum theologiae, quam tamen pietismi tum dominantis adversarius mox deserebat, deinde philosophiae et physiologiae incumbebat. Quum novem per annos praeceptor domesticus fuisset, primum lector publicus, postea philosophiae theoreticae professor honorarius in universitate litterarum Regiomontana factus est et hac ipsa in urbe anno 1804 diem supremum obiit.

Hic philosophus quum censeret, rationi theoreticae quod attinet ad res tantum intelligibiles certos fines constituendos esse, ne in mera commenta incideret tutumque veritatis fundamentum relinqueret et contra rationi practicae seu ethicae hanc facultatem idque officium tribueret, ut virtutis necessitatem et leges, ut inde altius adscendens Dei exsistentiam essentiamque cognosceret, necessario etiam illas demonstrationes, quae pro Dei exsistentia a prioribus theologis et philosophis propositae erant criticae rationis judicio subjicere debebat. Quod fecit in celeberrimo suo libro qui inscriptus est. Ars critica purae rationis in quo quod attinet ad argumentum ontologicum ita fere disseruit [1]: Ex iis quae adhuc disputavimus facile intelligitur, notionem entis absolute necessarii esse meram notionem rationalem, hoc est meram ideam, cujus re vera exsistentia ideo quod ratio ejus indiget minime demonstrata est. Permirum autem hic et ineptum accidit, quod si ex data generatim exsistentia aliquam exsistentiam utique necessariam esse concludimus haec conclusio necessaria et recta esse videtur et omnes tamen intellectus nostri conditiones, quominus ejusmodi necessitatem cogitari possimus prorsus nobis adversae sunt. Definitio quidem nominalis hujus notionis, entis inquam absolute necessarii facile proponi potest: quod sit ens tale cujus non-exsistentia impossibilis est; sed nullo modo prudentiores reddimur de iis conditionibus, quibus efficitur, ut non-exsistentia alicujus rei utique cogitari nequeat. Omnes enim conditiones, quarum semper intellectus indiget, ut aliquid necessarium esse intelligat si per vocabulum absoluti abjicimus, multo abest ut hoc perspicuum nobis faciat, num per notionem entis necessarii etiam aliquid an fortasse prorsus nihil cogitemus. Exempla quoque ad explicandam

---

1) cf. Kantii: Ars critica purae rationis ed 4ta 1794. Doctrina elementaris Pars II. lib. II caput II locus III particula IV: Quod ontologicum de Dei exsistentia argumentum impossibile sit p. 620 sqq. Kantii: Opera omnia ed. Rosenkranz et Schubert Lipsiae 1838. vol. II. ed. Hartenstein Lipsiae 1838 vol. II.

hanc notionem allata sunt; ex. gr. propositio illa geometrica, quod triangulus tres habeat angulos, utpote quae absolute necessaria sit. Sed omnia ejusmodi exempla a judiciis non a rebus earumque exsistentia desumpta sunt. Absoluta autem judicii necessitas conditionata tantum est quoad rem sive praedicatum judicii. Sic ex. gr. ea conditione, quod triangulus exsistit (datus est), etiam tres anguli (in eo) necessario exsistunt. Si praedicatum judicii idem declarantis tollo, subjectum vero non aufero, contradictio inde efficitur ideoque illud isto necessario competere dico. Sin subjectum simul et praedicatum tollo nulla oritur contradictio; nam nihil amplius superest cui contradici posset. Similiter quod attinet ad notionem entis absolute necessarii res sese habet. Si ejus exsistentiam tollitis, rem ipsam cum omnibus suis praedicatis aufertis: undenam tum oriatur contradictio? Deus est omnipotens hoc necessarium judicium est. Omnipotentia tolli nequit si numen divinum hoc est ens infinitum ponitis cujus notioni illa par est. Sin proponitis: Deus non exsistit nec omnipotentia nec ullum aliud ejus praedicatorum datur omnia enim una cum subjecto sublata sunt, nec ullam haec propositio contradictionem involvit. Enimvero hanc unam dicitis esse notionem, in qua non-exsistentia seu rei sublatio ipsi sibi repugnet, notionem inquam entis verissime exsistentis. Haec, ut contenditis, omnem veritatem continet et vos tale ens possibile ponendi potestatem habetis. Jam in omnium veritatum numero etiam exsistentia est, ideoque exsistentia in notione entis possibilis continetur. Ergo si haec res tollitur, interna rei possibilitas aufertur quae est contradictio. Sed hoc jam sibi repugnat, si notioni rei alicujus quam solummodo secundum possibilitatem cogitare volumus jam sub occulto aliquo nomine notionem exsistentiae, ejus inferimus. Si propositio: haec vel illa res exsistit analytica est [2]) aut cogitatio quae menti

---

2) cf. l. c. introductio IV. p. 10 sqq. Propositio analytica ea est, qua praedicatum in subjecto continetur.

vestrae inest ipsa res esset, aut exsistentiam tamquam possibilem posuistis et deinde, sicut perhibetis, exsistentiam ex interna possibilitate conclusistis, quod nihil nisi inanis tautologia est. Sin ut aequum est conceditis, unamquamque propositionem, quae ad alicujus rei exsistentiam pertinet esse syntheticam[3]) quomodo contendetis, quaeso, exsistentiae praedicatum sine contradictione tolli non posse, quum hoc jus praecipuum analyticis tantum propositionibus proprium sit? Plurimi logicum praedicatum cum vero (id est definitione alicujus rei) confundunt. Praedicatum logicum quodcunque velis esse potest. Sed definitio praedicatum est, quod praeter notionem alicujus subjecti insuper accedit eamque amplificatur. Itaque non jam subjecto inesse debet. Apparet vero esse (sive exsistere) verum praedicatum hoc est notionem alicujus rei quae ad alterius notionem accedat non esse. Sola affirmatio rei alicujus vel quarundam quae per se ipsas positae sunt definitionum est. Propositio: Deus est omnipotens duas continet notiones, quarum utraque suum habet objectum, Deum scilicet et omnipotentiam; vocabulum est non aliud praedicatum est sed id tantum, quod praedicatum respectu ad subjectum ponit. Itaque si subjectum (Deum) cum omnibus praedicatis suis (omnipotentiam quoque) colligo et Deus est propono, non novum adhuc praedicatum ad notionem Dei adjicio, sed subjectum modo per se ipsum cum omnibus suis praedicatis pono et rem quidem respectu ad meam notionem. Hae duae unum idemque continere debent neque adeo ad notionem, quae possibilitatem tantum significat eo quod rem absolute datam cogito quidquam amplius accedere potest. Neque ideo res vere exsistens plus continet, quam quae tantum possibilis est. Centum veri thaleri ne minimum quidem ultra continent quam centum thaleri possibiles. Sed pecuniae meae profecto plus continent, si centum veros thaleros, quam si solam eorum notionem pono. Res enim

---

3) cf. l. c. Propositio synthetica ea est, qua praedicatum ad subjectum accedit.

vere exsistens non solum notioni meae analytice (sive per explicationem) inest, sed etiam ad notionem meam synthetice (sive per positionem) accedit, hac tamen ratione, ut per illam exsistentiam, quae extra meam notionem est, ficti isti centum thaleri ne minimum quidem augeantur. Nostra igitur rei alicujus notio quidvis et quantumvis contineat, egrediendum tamen ex ea nobis est, ut exsistentiam isti tribuamus. Quod attinet ad res sensibus subjectas hoc fit per nexum, qui illis cum aliqua perceptionum mearum intercedit secundum experientiae leges; sed quoad objecta merae cogitationis non habemus, quo eorum exsistentiam cognoscamus, quum prorsus a priori cognosci oporteret, nos autem omnem omnino exsistentiam diuturna observatione cognitam habemus; exsistentia, quam experiendo non cognoscimus, non quidem utique impossibilis declarari potest, sed tamen sumtio est, quam nullo modo justificare possumus. Notio entis absolute summi multis rationibus utilissima sed mera idea est ideoque per se solam nostram ejus quod re vera exsistit cognitionem amplificari prorsus nequit. Ne in tantum quidem valet, ut quod ad possibilia attinet plura nos doceat. Nota quidem analytica possibilitatis, quae in eo consistit, quod solae positiones (veritates) contradictionem non involvunt ei competit sed quum omnium verarum qualitatum in aliqua re conjunctio synthesis sit, cujus possibilitatem a priori dijudicare non possumus, quia veritates nobis proprie datae non sunt neque etiamsi hoc fieret omnino ejus rei judicandae potestatem habemus, quia nota possibilitatis cognitionem syntheticarum diuturna semper observatione quaeri debet, cui tamen idea subjecta esse nequit: longe abest quin celeberimus Leibnitius perfecerit quod sperabat, fore ut possibilitatem entis tam excelsi ac summi a priori intelligeret. Itaque in elucubrando celeberrimo illo pro exsistentia summi entis e notionibus desumto argumento ontologico omnis opera et labor frustra absumitur nihiloque magis homo e solis ideis cognitionem suam augeret quam mercator opes si summae pecuniarum quae in aerario sunt zero nonnulla adderet.

Ita Kantius argumento pro Dei exsistentia ontologico magno sane acumine sese opposuerat. Nihilominus tamen plures qui ceteroquin Kantii asseclae erant viri doctissimi hanc ipsam demonstrationem denuo defendere et firmare studebant. Fiebat hoc praesertim inde ab eo tempore quo Fichtii praeclarissimi philosophi doctrina in lucem prodierat qui non personam sed summam potius ordinemque legum moralium in universo hoc mundo constitutarum, quas ratio humana principia ac regulas omnis efficaciae suae esse intelligeret absolute summum et veluti ens divinum esse dicebat [4]). Adversus hunc idealismum viri docti, quorum jam sententiae proponendae nobis sunt, numen divinum esse mentem sui ipsius consciam contendebant. Et primo quidem mentionem hic facimus Friderici Christiani Sintenis qui natus Zerbstiae in urbe quae caput quondam principatus Anhaltini-Zerbstii fuit et ad principatum postea nunc ducatum Anhaltino-Dessavium pertinebat ante diem quartum Idus Martias anni 1750 ea in urbe orator a sacris et principi a consiliis ecclesiasticis erat et pridie Calendas Februarias anni 1820 e vita excessit. Is vir de omnibus pro Dei exsistentia argumentis agit propriamque suam demonstrationem proponit in libro qui inscribitur: Pistevon sive de exsistentia Dei Appendix ad Elpizon [5]).

Et primo quidem auctor numinis divini notionem explicat [6]). Summum cui omnia subjecta sunt ens per se exsistens sive substantia sit necesse est. Hanc porro substantiam mentem hoc est vim quae intellectus sui potens est cogitare debemus. Quumque ea ipsa vis mentis ab omnibus essentiae intelligentis humanae angustiis vitiisque liberata esse debeat, Deum etiam mentem

4) cf. Fichtii, J. G.: Priores adumbrationes doctrinae scientiarum ab anno 1794 usque ad 1802. De ratione qua nostra in gubernationem divinam mundi fides nititur in diurnis philosophicis 1798 VIII 1.

5) cf. Sintenis, C. F.: Elpizon sive de animi mei immortalitate VI tom. in III voll. ed 3. tom. VI qui inscribitur: Pistevon sive de exsistentia Dei. Appendix ad Elpizon ed 3. Coloniae Agrippinae 1811.

6) cf. l. a Commentatio III. p. 47—67.

perfectissimam esse cogitandum nobis est. Deum esse summum, cui omnia subjecta sunt, hoc denique nihil aliud significat, nisi quod mundus et qui sensibus subjectus est et qui sensibus percipi nequit secundum originem perpetuitatemque a Deo dependet, ex quo notiones causalitatis et gubernationis sequuntur.

Qua numinis divini definitione breviter proposita theologus ad demonstrationem pro Dei exsistentia ex mundo, qui sensibus percipi non potest transgreditur [7]). Jam quum unum modo ens, quod ad mundum sensibus non percipiendum pertinet, homo scilicet, nobis sit notum, demonstratio pro Dei exsistentia e mundo qui sensibus percipi nequit in argumentum ex praeclaro vitae humanae fine vertitur. Facultate sua cogitandi ad adipiscendam veritatem, facultate sua volendi ad studium virtutis homo generatus est; itaque demonstratio in haec duo argumenta dividitur, ex eo scilicet quod ad adispiscendam veritatem et quod ad studium virtutis homo natus est [8]). Conqueruntur plerique de terminis qui homini ab hac quae sensus superat parte impositi sint et incomprehensibiles eos judicant, sed sine justa causa. Nam hi termini ex ipsa temperatione nostra veluti humana plane comprehensibiles ob eamque positi sunt, sicut omnis omnino res ut hac definita forma exsistere possit quosdam naturae suae proprios terminos habet eoque jam etsi subobscure tantum exsistentiam entis alicujus indicat, quod quascunque formas ratione comprehendere atque re vera efficere potuerit. Jam sequitur argumentum pro Dei exsistentia ex eo quod homo ad adipiscendam veritatem generatus est, quam demonstrationem scriptor his fere verbis si quod Germanice scriptum est in linguam Latinam vertimus breviterque adstringimus

---

7) cf. l. c. Commentatio XI p. 204—9.

8) Si usitata argumentorum pro Dei exsistentia nomina adhibemus prius illud quod hoc loco amplius contemplandum nobis erit ontologicum alterum ethicum recte appellabimus

proposuit [9]): Cogitandi facultas secundum naturam suam ad cognoscendum intenta omnibusque ex partibus homo ita positus est, ut omnis ejus felicitas ab infima usque ad summam a veritate cognitionum dependeat. Numquid vere hoc sit quod esse censet, numquid re vera hoc modo sese habeat, quo se habere opinatur hoc hominis maxime interest. Haec est conditio, qua natus est, ut veritatem adipiscatur, de qua utique dubitari non posse existimo. Illud praeceptum: quaere ut recte cognoscas in infimo jam vitae gradu simplicissimis naturae suae corporeae necessitatibus ejus curae commendatur. Eoque magis hoc accidit, si commode vivendi in ipso cupiditas expergiscitur. Vox praecepti augetur si voluptatum ad corpus pertinentium, si proprie bene vivendi appetitus mentem subit. Nam tum voluptates per se sibi noxias ab iis quae per se sibi innoxiae sunt necesse est discernat modumque cognoscat, quo per se ipsi innoxiis frui debeat, ne noxiae sibi fiant, qua in re veritatis jam moralis initium latet. Vita porro lautior humana non nisi majores in societates coeamus muniri firmarique potest eaque consociatio si finem suum consequi velit conditionibus et praeceptis quibusdam ordinata esse debet. Itaque jam hic praeceptum illud: quaere ut recte cognoscas sublimiore gradu audire possumus. Consociatione humana artes litteraeque oriuntur et florent. Ipse homo propriae scientiae objectum sese reddit omnesque passim veritates practicas et morales invenit, quas ut homo sit et vera quidem felicitate humana fruatur accipere et exercere debet. De se ipso homo ad universam rerum naturam cognoscendam adscendit neque fieri potest quin ejus nexum originemque quam acuratissime perpendere studeat. Veritates sic repertas componimus, ex iisdem novas concludimus et mox experimur, quod intelligendo perscrutandoque nullus finis impositus sit. Quo plura autem cognoscendo invenimus, eo plura cognoscere studemus et quo saepius in cognoscendo erramus eo praeceptum: quaere ut recte cognoscas sanctius nobis

---

9) cf. l. c. Commentatio XII p. 210—235.

sonare videtur. Atque quo magis nobis contingit, ut perceptiones nostras corrigamus veritatique adpropinquemus, eo magis summa vitae nostrae beatitudine fruimur. Jam quod ita a natura generati sumus, ut veritatem adipiscamur, hoc ut ex sola necessitate vel felicitatis quamvis ad solam mentem pertineat studio deducat vix ulli sincero veritatis amico sufficiet; sed ex isto jam potius fine nostro summum ens animo praesagire possumus, quod veritatem possidet, quod nobis quoque per illud praeceptum veritatis aditum patefacit, cujusque ipsi hoc nostro veritatis studio imaginem adumbramus. Homo innata sua cogitandi facultate ad adipiscendam veritatem generatus in quaerendo vero legibus quibusdam obstrictus est, secundum quas utique cogitare debet. Impossibile est, ut contra illas cogitet nec ipsa summa externa alienaque potestas hoc in eo efficere valet. Primi educatores has illi rationis leges dare nequeunt, imo saepe etiam alumnos docent, ut contra leges cogitandi cogitent, et illi tamen ex prava ista institutione mentem suam quasi emergunt, sicut neque sentiendi leges primi educatores alumnis suis dare valent. Nec istae sentiendi leges fontes quasi et principia legum cogitandi esse possunt, quum illae saepius secundum has corrigendae sint. Similiter nec ipsa ratio has sibi leges dare potest, quum illae potius ipsam rationem efficiant. Animadvertere quidem leges suas ratio potest; ipsae vero leges in summa ratione tantum conditae esse possunt, quae ipsa omnium cogitandi legum fons est. Et praesertim hoc dicendum erit, quum certae dentur veritates, quae ens aliquod exsistere nobis persuadent, cujus tota atque integra cognitio non nisi certas veritates continet. Quo magis perscrutando veritatem quaerimus, quo amplius in definitam ejus regionem tendimus, eo magis persuasum nobis habemus omnes veritates inter se conjunctas esse. An igitur hoc nobis sufficiat, quod de omnium omnino veritatum nexu una mens finita plura semper perspiciat quam altera eoque hujus conspectus infinita consistat varietas? Sed quomodo fieret, ut hoc ipsum merae forti tribueremus? Annon potius probemus,

unam esse mentem infinitam, quae omnem omnium veritatum nexum perspiciat cuique nos ipsi quo magis hunc nexum intelligendo comprehendimus eo magis adpropinquamus? Atque porro manifestum est, omnium mentum finitarum intellectum nunquam omnium veritatum nexum perfecto conspicere, imo potius de toto veritatis nexu valde exiguam semper pro ejus amplexu partem conspici. Exsistentia ergo uniuscujusque mentis finitae infinitam mentem omnis et intellectus et scientiae et sapientiae primum exemplum exsistere probat, cujus adumbratio tantum finita quoque intelligentia et scientia et sapientia est. Progressus deinde historiae totius generis humani docet, veritatem inde ab antiquissimis quidem temporibus acerrimos saepe impetus suscipere debuisse, sed ex omnibus hisce pugnis victricem semper discessisse et progressam esse. Quam victoriam progressionemque tempus efficere non potuit. Potest quidem tempus ejusmodi errores exstirpare, qui ad solam mentem pertinent, non vero eos, qui cum cupiditatibus humanis semper recentibus ex. gr. privatae utilitatis studio conjuncti sunt. Et tamen veritas semper progressa est. Imo saepe jam unus veritatis propagator adversus mille homines errorem defendentes stabat neque longe abesse videbatur quin interiret, quum subito tempora inciderunt, quae non modo validum praesidium, sed etiam victoriam ei parabant, quod a sola caeca fortuna nullo modo perfectum esse potest. Enimvero quantum jam quoad veritatis propagationem factum est, parum tamen est, si ad ea respicimus, quae adhuc facienda sunt. Conditio qua generatus est homo, ut veritatem adipiscatur, tum demum re vera perfecta erit, quum omnes homines quod attinet ad praecipua judicia inter se consentiunt et una eademque vox in toto genere humano, scilicet vox veritatis valet. Itaque regnum veritatis exsistat necesse est, quod omnes veritatis amici hoc ipso quod veritates ab iis cognitas quam maxime fieri potest propogant erroresque ubicunque iis occurrant toto animo ac studio omni impugnant efficere student, quo facto se

non ad efficiendam quae obtineri nequit speciem per somnium oblatam sed ad assequendum praecipuum universi generis humani finem operam suam navare conscii sibi sunt. Sunt quidem veritates tum omnibus hominibus necessariae, tum paucis tantum destinatae. Sed iis veritatibus quarum homo ut homo indiget unusquisque instructam debet habere mentem, ita ut eas re vera adipisci possit. Similiter de iis veritatibus et perceptionibus, quae in regno veritatis re vera sunt quicunque eas possident consentiant necesse est, ut veritatem regnare recte dici possit. Enimvero hoc quod necessario exsistere debet regnum veritatis genus humanum si solo ipsius arbitrio res permittatur consequi nequit. Magna hominum pars vitae suae conditione ita deprimitur terminisque circumscribitur, ut verae perceptiones non amplius quam quod attinet ad conditionem suam sensibus subjectam ejusque necessitates curae iis sint. Aliis multis re vera alacre veritatis desiderium inest; sed saeva homines obscurandi cupiditate, quae, quia eaedem omnibus temporibus ejus causae manent, denuo semper ad obtinendum imperium contendit impediuntur, quominus veritatem adipiscantur. Denique quum ipsorum hominum tam varia sint ingenia vix unquam sperari potest, ut necessaria communisque perceptionum inter eos qui illas possident consensio efficiatur. Ergo summa mens exsistat necesse est, quae omnipotentia et sapientia sua non solum eorum, qui depressa et angusta conditione vitam degunt sortem meliorem reddit, ita ut veritatem intelligere possint, sed etiam quoad eos, quibus veritatis desiderium re vera inest magis magisque omnia impedimenta tollit perfectiusque in dies hoc efficit, ut unusquisque in iis, quae intelligit verum intelligat ideoque una tantum detur veritatis vox, quae omnes homines de una eademque re judicantes regit. Itaque si negari nequit, singulos quosque homines et universum genus humanum communi suo fine ad hoc generatos esse, ut veritatem cognoscant, tum etiam sine omni dubio Deum exsistere dicendum erit.

Quae sagacissima profecto demonstratio gravissima quidem

ad numinis divini essentiam re vera percipiendam fidemque in Deum et ejus providentiam firmandam nomenta affert quum ad id potissimum respiciat, ut ens perfectissimum seu accuratius summa mens si exsistit ad animi bona hominibus tribuenda veritatemque propagandam omnipotentia et sapientia sua omnes res atque eventus praestantissime summaque admiratione dignissime ordinet atque efficiat. Sed Deum re vera exsistere ea sane qualem viri omnibus artibus litterisque eruditi postulant certitudine probatum esse non videtur. Dici enim posset, homines si natura sua ad hoc generati essent, ut veritatem intelligant, hunc finem consequi omnesque difficultates et omnia impedimenta magis in dies superare debere, sive Deus exsistat sive non exsistat, neque nos totius generis humani usque ad consummationem hujus mundi conditionem ita perspicere posse, ut pro certo affirmare valeamus, nunquam homines nisi Deo adjuvante veritatis perceptionem absolute perfectam assecuturos esse. Imo potius dubitare neque debemus neque possumus, quin quod ad cujusvis rei veram insitamque pertinet naturam nullis externis conditionibus irritum reddi possit, sed quum tempus postulat re vera perficiatur.

Breviter deinde Christophorus Friedericus de Ammon qui natus anno 1776 primum theologiae professor in universitate litterarum Erlangensi postea Gottingensi, tum inde ab anno 1812 primus regni Saxonici orator a sacris aulicis consiliique supremi ecclesiae Evangelicae praeses vicarius fuit et anno 1850 e vita excessit in libro suo celeberrimo quo doctrina sacra tractatur [10]) argumentum ontologicum his verbis proponit: Quum idea infiniti qua Deum concipimus intellectui canonem praebeat in judicandis veris et falsis, falsum autem ex mero phantasmate judicari et corrigi nequeat (Ephes V 13.) colligitur merito notioni absoluti quae mentem humanam occupat et per vim conscientiae atque officii etiam

10) cf. Ammon Chrph. Fr.: Summa theologiae christianae. Gottingiae 1803 editio III 1830 § 51 p. 110.

impium arguit respondere veritatem aeternam in intellectu numinis archetypo, hoc est Deum nomen habere ab essentia (Exod IV 14. Jesaias XLII 8.) ideoque vere exsistere propter cogitationis divinae necessitatem absolutam. — Quae quidem demonstratio recte se haberet, si idea infiniti sive absoluti, qua in judicandis veris et falsis utimur nisi essentia ei vere exsistens respondeat merum phantasma esset. Quod nullo modo concedi potest, quia multae ejusmodi ideae ex. gr. veri, recti pulchri menti humanae insunt, quae sane verissimae sunt, etsi nullum ens extra intellectum nostrum exsistens iis respondeat vel nos certe ejusmodi ens exsistere probare non possimus.

Denique et Carolus Theophilus Bretschneider qui natus anno 1776 summus in ducatu Gothano rerum ecclesiasticarum antistes primusque a sacris aulicis orator fuit et anno 1848 diem supremum obiit in opere suo quod ad sacram doctrinam pertinet [11]) argumentum quod ipse ontologicum vocat his verbis quae nos in linguam Latinam vertimus proponit: Ipsa rationis humanae natura postulat, ut a conditionato ad absolutum ab imperfecto ad perfectum adscendat. Ita denique ratio ad ideam universae perfectionis sive absolute perfectam pervenit, quam quidem aliqua demum revelatio nobis tradere non debet, sed propius tamen definire et emendare et augere potest. Sequitur ex hac rationis natura, primum quod notio Dei nobis indita et naturaliter necessaria est; tum quod eadem ex causa, qua omnibus rationis nostrae perceptionibus veram exsistentiam competere putamus etiam hanc ideam re vera extra intellectum nostrum exsistere credendum nobis est. Esse imperfecti necessario esse perfecti ponit. Quia conditionatum exsistit ideo absolutum quoque exsistat necesse

11) cf. Bretschneider: Manuale doctrinae sacrae ecclesiae Evangelicae-Lutheranae II voll. Lipsiae 1814—18 editio IV. 1838. vol, I § 49 p. 465 sqq.

est. Cujus rei dux nobis ipsa natura est. Conspicimus enim in rerum natura immensam entium seriem, quae ab imperfectissimis quidem incipit, sed ad magis magisque perfectiora procedit. Enimvero mundus hic adspectabilis aliquam tantum partem hujus scalae nobis suppeditat, quam ratio nostra usque ad ideam entis perfectissimi continuare potest. Jam quum magnam hujus scalae partem et inferiorem quidem re vera effectam videamus, magis quam verisimile, imo fere certum est, reliquam quoque ejus partem effectum esse, hoc est angelos et Deum, ens perfectissimum hujus seriei finem exsistere. Fortasse quidem aliquis nobis objicere posset mundum hunc sensibus subjectum non nisi quantum nos ipsi judicare possimus re vera exsistere; sed si vera Dei exsistentia veram quoad nostrum judicium mundi hujus adspectabilis exsistentiam adaequat hoc sine dubio homini sufficit. Accedit ad hoc quod ipsa ratio nostra perfectum assiduo sectatur eique consectationi nos obligat ideamque numinis divini quasi summam hujus consectationis normam ponit; ergo fere certum est, ens quoddam exsistere quod et ultima hujus consectationis praeterea nobis inexplicabilis causa et hoc ipsum propositum, ad quod ipsimet nitimur, jam inde ab initio perfectissime assecutum est. — Quae demonstratio si accuratius rem investigamus non ontologici solum, sed etiam maxima ex parte cosmologici argumenti ratione utitur, quod de forma notandum erat. Quoad autem ipsam sententiam hoc praecipue quod omnibus rationis nostrae perceptionibus veram exsistentiam competere putamus ideoque Deo etiam sive enti absolute perfecto, cujus idea nobis quasi innata est veram exsistentiam tribuere debemus, non satis probatum esse videtur et ut ipse autor ait magis verisimilem quam absolute certam Dei exsistentiam esse docet.

CAPUT VIII.

Argumentum ontologicum inde ab Hegelii temporibus.

Dum paullo post Kantii tempora plures philosophi et theologi omnia ad Dei exsistentiam probandam argumenta vana quasi atque irrita nec ad fidem in Deum condendam vel firmandam idonea esse contenderent, dum Jacobi [1]) semper ac necessario, inquit, argumentum super illam rem, quae ejus ope probari debet elatum est, res ei subest; ex eo demum veritas et certitudo in rem probandam defluunt, ab eo veram suam exsistentiam praedium quasi fiduciarum accipit: igitur si Dei exsistentia probanda esset, ipse Deus ex aliqua re, quae quasi ejus fundamentum a nobis cogitari valeret ideoque ante et super eum esset quasi e principio suo deduci possit necesse est; dum Schleiermacherus [2]) doctrina sacra, dicebat, ubique immediatam certitudinem sive fidem ponit ideoque quod attinet ad universalem de Deo exsistente conscientiam non ut agnoscatur efficere sed tantum quae in illa continentur explicare debet: contra recentissima nostri saeculi philosophia vetera illa ad exsistentiam Dei demonstrandam argumenta denuo tractare eorumque auctoritatem manifestam facere studebat. Qui potissimum huic rei operam navabat is erat celeberrimus philosophus Friedericus Guilielmus Hegelius, qui natus Stuttgartiae in capite Wurtembergiae ante diem IX calendas Septembres anni 1774, eruditus Tubingiae, anno 1801 simul cum Schellingio lector publicus in universitate litterarum Jenensi in publicum prodiit, tum Norimbergae gymnasii rector actorumque diurnorum

1) cf. Jacobi, H. F.: De rebus divinis earumque revelatione Lipsiae 1811. Opera omnia VI voll. Lipsiae 1812—25 voll. III.

2) cf. Schleiermacher, Fr.: Fides christiana II voll. ed IV. Berolini 1843 vol. I § 33. 3. p. 175.

Bambergensium editor vixit, postea philosophiae professor in universitate litterarum Heidelbergensi deinde Berolinensi nominatus est, qua in urbe ante diem XVII calendas Decembres anni 1831 diem supremum obiit. Qui vir doctus in opere suo posthumo quod ad philosophiam religionis pertinet [3]) quum de ceteris tum de ontologico argumento in hunc fere modum disseruit: Cogitatio intimum et proprium quasi fidei bonum siquidem essentialis veraque intelligatur, necessaria simul sciatur, conscientiam sui ipsius et continuatae suae explicationis sibi quaerat necesse est; ita demonstrando sese explicat, nam demonstrare nihil aliud est, nisi continuationis ideoque necessitatis conscium sibi fieri et, quoad nostrum propositum, peculiaris quidem in eo quod per se universum est argumenti absolutique hujus veri tamquam summae itaque ultimae quae in peculiari quocunque argumento continetur veritatis. Quae quidem conscientiae proposita continuatio certe non tantum cogitationis nostrae motus arbitrarius praeter ipsam rem esse debet, sed ipsam rem sequatur et ipsam ejusque necessitatem explicet necesse est. Talis expositio, motus ipsi rei inhaerens sive interioris propriaeque necessitatis explicans argumentum, hoc est ipsum intelligere et verum quidem si cum re ipsa unum idemque est. Res autem nobis proposita elevatio mentis nostrae ad Deum erit. Quem Dei perceptionem homo consequi potest, si Deus non modo intellectus sui ipsius conscius est, sed illud potius serio ponitur, quod est, quod pro nobis est, quod a sua parte inter ipsum et nos ratio intercedit neque tantum de hominis ad Deum ratione agitur; quod ipse sese hominibus communicat. Non humana quae vocatur terminisque circumscripta ratio est quae Deum intelligendo percipit, sed spiritus Dei in homine, Dei ipsius conscientia

3) cf. Hegel, Fr. W.: Praelectiones de philosophia religionis una cum scripto de argumentis ad Dei exsistentiam probandam II tom. ed Marheineke Berolini 1832. Operum omnium tom. XI XII hic praecipue XII (II) p. 324 sqq. 428. 471 sqq.

in hominis intellectu sui ipsius conscia est. Quod homo Deum intelligendo percipit ex essentiali communione communis intellectus est, hoc est eatenus tautum intelligendo Deum percipit quatenus Deus in homine intelligendo se ipsum percipit; intellectus est conscientia ipsius Dei, simul autem ejus de homine intellectus, et Dei de homine intellectus ipse hominis de Deo intellectus est. Hominis mens quae Dei sibi conscius nihil aliud est, quam ipse Dei spiritus. Ita quum explicatum sit, quomodo omnino mens humana Deum intelligendo percipere ideoque Dei exsistentiam sibi demonstrando confirmare vel potius explicare debeat porro Hegelius de argumento ontologico agit ejusque veritatem adversus Kantii objectiones sic defendit: Contra primam sententiam quod utique e perceptione intellecta esse sequatur dictum est, perceptionem et esse prorsus inter se differre, perceptionem itaque per se et essentiam diversam esse, esse extrinsecus, aliunde ad perceptionem accedere debere, esse in perceptione positum non esse. In communi vita cogitatio centum thalerorum perceptio vocatur; sed haec re vera perceptio non est, verum aliqua tantum comprehensio. Notio sane mera sensibusque subjecta, ut color caeruleus vel cogitationis definitio quem memoria teneo essentiae carere potest. Sed haec perceptio dicenda non est. Perceptio et absoluta quidem perceptio, perceptio a et per se, perceptio Dei per se sumenda est et haec perceptio esse ut propriam suam definitionem continet. Esse definitio perceptionis est, quod duobus modis facile demonstratur. Primo enim perceptio immediate hoc universum est, quod se ipsum definit, distinguit, hic actus judicandi et se distinguendi et definiendi et determinationem ponendi et hanc suam determinationem tollendi et hac sublata tamquam sibi ipsi idem et par subsistendi. Haec est perceptio in universum sive perceptio Dei sive absoluta perceptio. Deus id ipsum est. Deus tamquam spiritus et amor hoc est quod Deus se distinguit, Filium generat, mundum creat, aliud ipsi oppositum in eoque se ipsum habet, sibi ipsi idem et par est. Secundo quaerimus,

quid est esse? haec qualitas, definitio, hic verus exsistendi modus. Esse nil amplius est quam ineffabile, perceptione carens, notio non illa concreta quae ipsa perceptio est, sed sola mente percipienda, qua res aliqua ad se ipsam refertur. Esse id quod mediatione non indiget dici potest. Esse est utique immediatum et vice versa immediatum est esse, quod non nisi ad se ipsum refertur, ita ut mediatio negata sit. Quae quidem definitio nempe relatio ad se ipsum sive essentia immediata confestim per se ipsam perceptioni in universum, perceptioni Dei inest, ita ut ad se ipsum referatur. Perceptio hoc vivum est quod se ipsum secum conciliat, una ex ejus definitionibus etiam esse est. Eatenus esse a perceptione differt, quia esse non tota perceptio est, una tantum ex ejus definitionibus, ejusmodi scilicet perceptionis simplicitas, qua in se ipsa est, eadem secum ipsa vis et ratio. Non immediate idem et par sunt; omne namque immediatum eatenus tantum verum est et re vera subsistit, quatenus se ipsum secum conciliat et vice versa omnis mediatio eatenus vera est, quatenus immediata in se est et ad se ipsam refertur. Perceptio ab esse differt et haec differentia ejusmodi est ut ipsa perceptio eam tollat. Perceptio est haec universitas, hic motus, hic subsistentiae quae in sensus cadit efficiendae processus. Perceptio per se sumta quae ab esse differt notio tantum rei a materia sejunctae est, hic est defectus; perceptio autem profundissima est altissimaque; omnis perceptio natura sua talis est, ut hunc subsistentiae suo tantum judicio subjectae defectum, hanc qua ab esse differt diversitatem tollat subsistentiamque sui ipsius quae in sensus cadit efficiat; ipsa est hic actus, qui se ipsum tamquam essentiam quae in sensus cadit producit. Ipsa perceptionis ratio vetat, ne aliquamcunque rei notionem, quam nosmet ipsi tantum habemus et sola mente effingimus, perceptionem esse opinemur. Imo potius perceptio est anima, ultimus finis rei alicujus, nempe essentiae vita praeditae, id, quod nos animam vocamus ipsa est perceptio et in mente sive conscientia perceptio ea quae cum naturae suae

indole utique convenit, ratione exsistit, hoc est tamquam perceptio libera, quae a subsistentia sua in rerum natura differt et sola mente percipitur. Sol ex. gr. vel animal perceptio tantum est, non vero perceptionem habet, ab iis perceptio non concipitur, quod quidem discrimen non cadit in ipsum solem; sed in conscientia mentis id quod ego dicitur ipsa est perceptio quae exsistit, perceptio qualis ipso suo judicio re vera subsistit et ego, haec mea perceptio, ego sum, qui meo certe judicio exsisto. Nemo autem hominum eo contentus est quod ego tantum sit. Ego est actus et is quidem qui suam subsistentiam in rerum natura conspicuam ponere veramque extra essentiam seu exsistentiam efficere valet. Ampliore enim et concreto sensu hic actus ipse cupido est. Omnis autem cupidinis impletio hic processus est, quo subsistentia illa sola mente percipienda tollitur et quod intus mente percipitur extra nos ipsos ut essentiam ei in rerum natura conspicuam et re vera exsistentem tribuere possis ponitur sive producitur, is actus, quo subsistentia, quae sola mente percipitur quaeque in sensus tantum cadit inter se conciliantur et utraque subsistendi ratio non una solum sed omni ex parte judicio ponderatur. Itaque Anselmi certe sententia si ad ea respicimus quae in illa continentur vera necessariaque est; sed quod attinet ad argumenti inde derivati formam haec sane imperfecta est, sicut et priores quae ad Dei perceptionem exsistentiamque conciliandam proponebantur rationes. Haec perceptionis et essentiae unio sumtio est; sed in eo ipso quod non nisi sumtio est argumenti defectus deprehenditur. Itaque quod nullum omnino inter perceptionem exsistentiamque discrimen intercedit hoc de Deo tantum valet; determinatio rerum in eo consistit, quod perceptio et perceptionis definitio et perceptionis secundum definitionem exsistentia inter se differunt. Determinatum est, quod perceptioni suae vel potius perceptioni absolute dictae non respondet. Sic modus quo perceptio scientia recipitur explicatus est. Considerabatur autem scientia Dei, certa omnino de Deo ex-

sistente persuasio. Prima quoad hanc rem definitio haec est. Quando rem aliquam scientia recipimus, ipsa haec res quasi ante oculos nobis obversatur et nos immediate ad eam referimur. Sed immediatae huic rationi inest mediatio, quam elevationem ad Deum vocavimus, quae efficit ut mens humana determinatum vanum caducumque esse existimet. Quod pertinet ad hanc quaestionem, primo notio Dei sola mente percipienda consideranda est; libera puraque et manifesta perceptio est, suae ipsius manifestationis principium, esse ejus alterius rei causa est ipsa ejus exsistentia et exsistentiae ejus fundamentum est mens finita, hoc est alterum; finita autem mens et conscientia est res individua. Summa hujus religionis christianae est haec, ut unusquisque hunc processum, quo Deus in mente finita sese manifestat et in ea manifestatione sibi ipsi idem et par est intelligat. Tertium est, quod perceptio ejusque essentia unum idemque sunt. Communis quidem plurimorum hominum intellectus essentiam perceptionemque acerrime distinguit et utrumque sibi ipsi idem et par esse censet, attamen ex consueta jam notione perceptio sine essentia imperfecta et falsa est aeque ac essentia quae ratione percipi nequit. Haec contradictio, quae in res finitas determinatasque cadit, quoad ens infinitum sive Deum nullo modo cogitari potest. Perceptio, cujus nos partes defendimus, christiana secundum propriam ac peculiarem quae ei competit formam amplius consideranda et explicanda est. Obvenit nobis hic perceptio Dei omni libertate quasi exornata, quae quidem perceptio cum essentia prorsus idem et par est. Esse notio sola mente percipienda et sane egentissima est, sed perceptio non adeo egens est ut hanc definitionem non contineat. Esse Dei non ex hac notionis sola mente percipiendae egestate et ista ratione falso immediata considerandum nobis est, sed esse potius tamquam esse Dei, ut materiam quasi quae perceptionem Dei re vera exsistentem efficit mente nostra concipere debemus. Itaque hic esse ad perceptionem accedere vel cum perceptione consociatum et in unum

quasi redactum esse dici nequit; ejusmodi dicta obliqua sunt. Conjunctio potius ita accipienda est, ut hae duae etiam quae in ea continentur partes inter se distinguantur, ipsa vero absolutus se in perpetuum producendi actus sit. Proposita hic nobis est concreta notio Dei mentis, notio autem mentis est perceptio quae a se et per se exsistit sive intellectus, haec infinita perceptio est ratio ad se ipsam, quae simul negatur; hoc autem posito eadem ipsa mentis perceptio se dijudicandi distinguendique facultas et actus est; distinctum vero quod primo sane adspectu externum aliquod et mente carens et a numine divino sejunctum esse videtur, siquidem accuratius rem investigamus cum perceptione idem et par est. Explicatio hujus perceptionis absoluta veritas est. Per religionem christianam Deum se manifestasse intelligitur; imo potius ad ipsam numinis divini naturam pertinet quod se manifestat; se manifestare nihil aliud est nisi se distinguere; hoc ipsum manifestum est, Deum manifestum esse.

Proxime huic disquisitioni adjungimus, quae inter theologos Philippus Marheineke qui theologiae professor in universitate litterarum Berolinensi anno 1846 e vita excessit in libro suo qui ad sacram doctrinam pertinet [4]) de ontologico pro Dei exsistentia argumento breviter his fere verbis disseruit: Vera argumenti ontologici vis in ipsa ratione quatenus cogitatio divina est continetur. Siquidem in et ab idea Dei complexa est itaque in Deo re vera exsistit ideo etiam Deum cogitare ipsumque tamquam exsistentem cognoscere valet. Dum eum non definita et determinata sua sed infinita facultate cogitat, etiam exsistentia ejus vera certaque ipsi est. Itaque ipse sese suamque exsistentiam non nisi per rationem tamquam intellectum sciendo partum comprobat. Sane igitur eo quod homo Deum cogitare valet Deum re vera exsistere probatur, et haec est argumenti ontologici ve-

---

4) cf. Marheineke, Ph.: Principia doctrinae sacrae christianae methodo scientifica tractatae editio II Berolini 1827 § 164 p. 96.

ritas, modo ne haec exsistentis Dei cogitatio inanis et determinata, sed essentialiter divina sit; ergo quia Deus mentis suae vi in ratione et est et operatur fieri nequit, quin ratio ipsius exsistentiam intelligat et confiteatur.

Si ad hanc, quam concordi inter se ingenio Hegelius et Marheineke proposuerunt argumenti ontologici defensionem novamque conformationem respicimus sagacissima profecto est et primo aspectu acerrimam illam adversamque Kantii censuram prorsus devincere videtur. Recte enim nostro quidem judicio Hegelius qui de philosophico hujus demonstrationis principio pluribus verbis loquitur, id praecipue monet, ut perceptionis, quam ratio nostra per insitam ipsi et deinde artibus litterisque excultam cogitandi facultatem concipit, longe aliam esse naturam advertamus, quam notionis vel definitionis vel comprehensionis rei alicujus a communi et inculta plurimorum hominum mente conceptae. Certe hujusmodi notio ex gr. centum thalerorum sive definitio ex gr. coloris alicujus haudquaquam simulatque cogitando fingitur ipsam re vera exsistentiam includit, imo potius saepe nil nisi notio sola mente percipienda esse potest. Perceptio contra non solum cogitando fingitur, sed vera potius est essentia rationis quae in toto quidem rerum universo omnibusque rebus vere exsistentibus conspicitur, sed in mente demum humana liberam distinctamque sui ipsius conscientiam consequitur, et quum mens divina sicut imperfectius obscuriusque in rerum natura, ita clare distincteque in mente humana sese manifestet eique quasi imaginem suam imprimat, tamquam divina ipsa ratio omnibus terminis longe remotis liberrime perfectissimeque se ipsam percipit. Recte porro his positis sequitur, quod res finitae determinataeque et perceptio entis infiniti absolutique maxime inter se differant. Illae maxima ex parte perceptioni suae vel potius perceptioni absolutae nequaquam respondent, unde fit, ut quod attinet ad ejusmodi res perceptio et esse diversa sint neque hoc ex illo derivari queat. Perceptio autem absoluta sive

perceptio Dei — hac in re ambo viri consentiunt — simulatque intelligendo percipitur etiam re vera exsistit. Ipsa enim haec absoluta perceptio sive mens divina non nisi in ratione humana sui ipsius conscia fit itaque in mente humana, siquidem non finita tantum determinataque sed infinita absolutaque sua cogitandi facultate utitur veram propriamque suam et essentiam et exsistentiam manifestat. Ergo si Kantius esse ad perceptionem extrinsecus accedere nec *ratiocinando* ex ea elici posse contendit, hoc in res quidem finitas determinatasque utique cadit sed quoad perceptionem infinitam absolutamque minime valet. Quae omnia praeclare verissimeque disputata forent, si Deus non nisi perceptio absoluta seu infinita in mente demum humana sui ipsius conscia esset, quod nullo modo concedi potest. Jam ipsa potius ratio humana, non solum illa communis et inerudita sed omnibus etiam artibus litterisque exculta quo clarius distinctiusque Deum cogitat eo magis indubitate Deum ens infinitum omnem hunc mundum hominesque ipsas majestate longe superans nec corporea quadam forma fictum sed summa mente extra et supra hominis rationem sui ipsius conscia praeditum esse intelligit. Accedit ad hoc quod religio utique, imprimis vero christiana et singulis verbis disertis et universo suo indole Deum in quem credimus mentem supramundanam extra homines sui ipsius consciam sive quod idem significat personam esse docet. Nam ut de ceteris taceamus, hoc unum quod Deum adoramus sine dubio postulat, ut eum extra nosmet ipsos proprie subsistere nostrasque preces audire cogitemus. Si Hegelius hanc objectionem affert, quod Deus amore sese hominibus communicet, contra monendum est, primo, quod ens propria sua subsistentia praeditum vel mens sui ipsius conscia non se suamque essentiam, sed effectus tantum virium quae ipsi insunt aliis naturae suae ratione ei cognatis itaque ad recipiendos tales effectus idoneis communicare potest; tum quod ipsa notio amoris, quamvis arctissimam unionem significet ejus-

modi tamen vices necessario ponit, quae non nisi inter duas personas proprie subsistentes suique ipsius conscias intercedere possunt. Similiter si philosophus Deum se hominibus manifestare dicit, profecto numen divinum non in sola mente humana sed in omni rerum natura omnique eventuum factorumque quae ad generis humani historiam pertinent ordine nostrae rationi quae sola inter hujus terrae creaturas ejus intelligendi capax est sese manifestat hoc est et exsistentiam et efficaciam suam clarissimis testimoniis probat. Quibus omnibus satis perpensis facile apparet, illos viros doctos iis quae de argumento ontologico disseruerunt nequaquam perfecisse, quod demonstrandum erat, scilicet Deum, cujus ideam quasi rationi nostrae innatam intelligendo percipimus etiam extra nos re vera exsistere. Quod ipsum alius vir doctus, qui et idem Hegelii assecla fuit, cui tamen alia et adversa quidem inter philosophiam recentiorem et theologiam christianam ratio intercedere videbatur bene intellexit. Is erat David Friedericus Strauss, qui in acerrima sua doctrinae sacrae christianae censura [5]) in hunc fere modum loquitur: Celeberrimum argumentum ontologicum eo jam tempore, quo primum ab Anselmo inveniebatur ac publice proponebatur eadem ratione impugnabatur, qua nuperrime a critica philosophia gravissimo impetu affectum est. Si Kantius prorsus contra naturam scholasticaeque subtilitatis renovationem esse contendit, quod homines e ficta per merum arbitrium rei alicujus idea aliquam quae ei respondeat exsistentiam elicere studerent, jam Anselmi aequalis, Gaunilo monacus (cf. hujus nostrae dissertationis cap. II. p. 15 sqq.) in libro suo pro Insipiente in eo potissimum haerebat, quod e nota quadam cogitationis, quae ipsa annon cum omnibus suis notis merum opinionis commentum esset haud sine dubio quaerebatur eam necessario re vera exsistere concludi posset. Praecipuam recentioribus temporibus Kantiana argumenti ontologici censura auctoritatem obtinuit. De qua censura si valde adversum a philosophis nostri saeculi

5) cf. Strauss, D. F.: Christianae fidei doctrina quoad historicam ejus explicationem et cum scientia recentiore certamen tractata II voll. Tubingiae 1840—41 vol I § 27. p. 395 sqq.

judicium factum est (cf. Schellingium in novis quibus physiologia speculativa tractatur ephemeridibus I p. 39 sqq. Hegelium in Encyclopaedia § 51 et in Praelectionibus de argumentis pro Dei exsistentia propositis p. 471 sqq.) hoc judicium exceptis quae in Kantianae adumbrationis conformatione imperfectius explicata sunt, verum vel falsum dici potest, siquidem ad id respicimus, quod apud hos philosophos pro theologica illa Dei notione, cujus vera exsistentia isto argumento probanda erat, ipsarum propria numinis divini perceptio supposita est. Ea Dei exsistentia, cujus demonstrandae causa ontologicum sicut reliqua omnia argumenta proponebantur erat esse externum sensibus experientiaeque subjectum, exsistentia, qua negata salubris ad veriorem ejus perceptionem, ad idealismum, ad intellectum mentis sive naturae divinae a et per se exsistentis tamquam essentiae et ideae moralis transgressio facta est.

Ex his, quae de argumenti ontologici historia egimus satis apparet, viros doctos, qui inde ab antiquissimis ecclesiae christianae temporibus ad nostrum usque saeculum huic argumento excolendo sive quod idem est exsistentiam Dei ex ipsius idea rationi humanae insita demonstrando operam suam navarunt, multa profecto hujus argumenti et egregia elementa contulisse nec tamen propositum omni ex parte perfecisse. Quae quidem imperfectio haudquaquam viris illis sagacissimis exprobrio censenda est. Nam et hoc tentamen sicut omnis omnino veritatis investigandae amor et studium ingenii contentio est, quam ne omnia quidem saecula nedum singuli quamvis sapientissimi homines perficere valent, sed quae passim virorum doctorum studiis laboribusque ad majorem perfectionis gradum pervenit. Quisquis igitur in hoc opere perficiendo quam maxima fieri potest diligentia operam suam navat, etsi non multa sed aliqua tantum ad verum amplius meliusque intelligendum confert, summo profecto honore dignus est. Restat jam, ut nos ipsi argumentum pro Dei exsistentia ontologicum nova quadam via ac ratione conformare studeamus. Ad quam rem perficiendam altera hujus nostrae dissertationis parte accedimus.

II PARS:

NOVA ARGUMENTI ONTOLOGICI FORMA EXPONITUR.

CAPUT I.

Argumenti nostri vis atque ratio.

Quum novam argumenti pro Dei exsistentia formam exponere conamur prius explicandum nobis erit, et quid demonstratio nostra probare velit et quam veritatis hujus investigandae quin potius certissime confirmandae viam ingredituri simus. Jam quod attinet ad priorem quaestionem, non numen divinum exsistere ostendemus. Nam hoc, si accuratius rem perscrutamur, nemo forte, qui sana mente praeditus et insitam sibi rationem adhibere assuefactus est negare potest. Et si nostris quidem temporibus permulti immo e Christiana societate progeniti nostraeque religionis educatione ac doctrina instituti Deum esse non solum aliis negare videntur, sed ipsi etiam aperte praedicant, diligenter tamen examinare debemus quo sensu ista Dei negatio intelligenda sit. Alii enim, et longe maxima quidem pars inter hujus vitae labores, curas, voluptates, cupiditates religionem omnino vile aestimant nec unquam de gravissima sanctissimaque omnium hominum causa cogitant. Ejusmodi homines nec utrum Deus sit necne quaerunt et saepe vitam suam ita instituunt, quasi nec ens divinum omnino exsistat nec aliquando vitae rationem ab hominibus expostulet. Miserrimi quidem isti sunt, qui, si vel paullum de summa re humana cogitare velint, facile ad agnoscendam Dei exsistentiam adducerentur maximamque e vivo hujus fidei fonte corroborationem et consolationem, summum virtutis studium, veram aeternamque beatitudinem haurirent. Alii autem, et ii maximis

saepe ingenii dotibus praediti et philosophica quam supra exposuimus [1]) doctrina imbuti non tam Deum omnino esse negant, quam talem numinis divini notionem mente sibi effinxerunt, ut extra intellectum humanum nullo modo exsistere posse cogitando autem simul adesse contendant. Nam perpauci tantum ex his, qui philosophiae doctrina non imbuti sed leviter atlincti erant fanatici religionis inimici evaserunt. Itaque jam praescriptum nobis esse videtur, quid summa *diligentia* probare studeamus. Nempe Deum personam id est summam mentem sui ipsius consciam ideoque per se subsistentem esse argumentatione nostra demonstrabimus, id quod, ut nobis sane persuasum est, et ratio humana et religio imprimis Christiana omnimodo poscit. Nos profecto non intelligimus, quomodo ratio Dei h. e. entis perfectioris et superioris, quod tamen neque per se subsistat neque sui ipsius conscium sit concipere possit ideam, quum potius ex naturali hominum intellectu utraque notio inseparabiliter cum altera conjuncta sit. Religio etiam, quamcunque vocis significationem accipiamus, eam homines inter et numen divinum rationem ponit, qua Deum contestata per universum rerum ordinem et probata quotidie naturis rationalibus ejus potentia, sapientia, benignitate summa verecundia plenissimoque amore veneramur, quibus vicibus nisi inter mentes sui ipsius conscias locus non est. Fides denique Christiana sine dubio Deum personam sive summam mentem per se subsistentem esse docet. Quod autem ad argumenti nostri formam attinet, ontologicam quae dicitur demonstrationem ita adhibebimus, ut ex ipsa entis summi et perfecti notione Deum mentem sui ipsius consciam esse ostendamus atque responsis ad plures, quae forte proferri possent objectiones datis num alii quoque prioribus temporibus hac ipsa argumentatione usi sint vel certe de ea significaverint videamus.

---

1) cf. Pars I cap. VIII p. 102 sqq.

CAPUT II.

Argumentum ipsum.

Progredimur a veritate omnibus sine dubio concessa sive ab axiomate, quod nulla prorsus demonstratione eget; scilicet: intellecto quid numen divinum sit statim intelligitur ens absolute perfectum esse. Quae quidem naturae divinae perfectio non in singulis quibusdam qualitatibus vel definitionibus, sed in universa potius essentia ejus, in ipso subsistendi modo posita sit necesse est. Proinde ad eas exsistendi formas, quas per universum rerum ordinem effectas distributasque esse videmus animum nostrum debemus advertere. Infimus subsistendi gradus in corporibus nullo motu proprio, nullis vitae sustinendae instrumentis, nulla generis sui propagandi facultate praeditis cernitur. Sane hic quoque rerum visibilium ordo magna conspectui nostro et admirabilia praebet. Quid enim pretiosius est adamante, qui claro candidoque splendore purum etiam vitrum, firmitate et duritia omnia metalla superat? Quid pluris aestimatur auro vel argento, quae homines maxima opera scrutantur, summa haud raro cupiditate sibi acquirunt et ad vitam suam opibus, commodis, deliciis ornandam adhibent? Quid utilius est ferro, quo ad perficienda belli pacisque opera utimur, quo vitam nostram contra ferarum hostiumve impetus defendimus, agros colimus, aedificia exstruimus quaeque ad cultum victumque pertinent tractamus? Quid, inquam, durabilius est lapidibus illis et saxis, quid excelsius montibus, qui in profundo terrae positi adscendentesque super coeli nubes non solum fragilia caducaque hominum opera, sed etiam saecula, immo tot saeculorum milia diuturnitate vincunt? Sed omnia haec quamvis praestantissima et summa profecto admiratione digna exsi-

stunt quidem, vita autem propria et interna carent. Pergimus inde ad secundum creaturarum ordinem, plantas scilicet, quae motu quidem voluntario egentes perfectiores tamen sunt lapidibus atque metallis, quum alimenta spiritu ex aëre ducant radicibusque ex humo sugant, quum hac ipsa de causa non adhaesione et coacervatione tantum, sed internis quibusdam viribus crescant, quum imprimis sui generis propagines gignant. Et quis est, qui confiteri dubitet, regnum vegetabile plurimas pulcherrimasque non adspectui modo, sed etiam delectationi nostrae species praebere? Adspicite quaeso gramina herbasque, quae redeunte vere prata nostra viridi tamquam stramento tegunt! Videte fruges, quae aestivo tempore agros implent et innumerabilia grana praestantissimum hominibus cibum effundunt! Delectamini floribus, qui campos hortosque ornant, qui colorum varietate odorumque suavitate maximam sensibus nostris voluptatem optimas animo delicias afferunt. Contemplamini magnas atque excelsas arbores, quae validissimis in terram radicibus confixae altissimas in stirpes amplissimosque ramos succrescunt, quae frondosis capitibus saluberrimam umbram et esculentis fructibus suavissimam nobis recreationem praebent. Omnes vero herbae arboresque, quamvis maxima homines oblectatione afficiant et gratissimam saepe nobis utilitatem comparent, vivunt quidem, sensibus autem propriis et innata quasi anima carent. Pervenimus jam ad animalia, quae sicut ipsum nomen ostendit animam habent, quae et motu voluntario et natura patibili sensibusque praedita sunt, quae superiorem adhuc fossilibus plantisque in rerum natura obtinent locum. Et profecto animalia non solum essentia sua sicut gemmae et aurum et argentum pretiosa vel sicut saxa et montes excelsa et admirabilia sunt, neque sicut herbae arboresque pulchritudine tantum et utilitate summam nobis delectationem afferunt, sed etiam pro varietate generis ipsius naturae quasi indole gravissimis saepe animadversionibus occasionem praebent mentemque cogitando occupant, quum vitam et mores quasi eorum perscrutari possimus. Quantum e. g. modo roboris ac saevitiae, modo

pernicitatis et astutiae in silvarum desertorumque feris leonibus et tigribus et ursis et lupis et vulpibus invenimus. Quantum habilitatis et docilitatis in iis animalibus, quae homines mansuefecerunt sociosque et adjutores vitae suae reddiderunt in equis et bobus et canibus immo quantum erga nos inclinationis et fidei in ejusmodi bestiis saepe conspicimus, ut quae natura duce inscii faciunt consilii haud raro et prudentiae speciem prae se ferant. Quantum etiam artis saepenumero in animalibus admiramur, quorum alia ut castores architectae quasi sunt, alia, ut aves multae suavi voce cantuque nos delectant. Sed quamvis multa ac praeclara munera animalibus ipsa natura dederit, tamen mente sui ipsius conscia praedita non sunt. Hoc donum, si ad terrae nostrae incolas respicimus uni homini attributum est. Haec cogitandi facultas, haec libera nec ulli extrinsecus necessitati plane subjecta voluntas, haec denique propria agendi bonum quodque honestumque eligendi et sectandi, malum autem et perversum fugiendi potestas super reliquas omnes creaturas longe nos attollit. Negare quidem non possumus, definitam admodum et imperfectam esse hominis mentem. Intellectus noster, quamvis in dies proficiat finesque quibus omni ex parte inclusus et velut impeditus est longinquius semper removeat, tamen minimam universi hujus mundi visibilis partem perspicit et rerum invisibilium solaque cogitatione percipiendarum valde exiguam sibi scientiam comparat. Voluntas nostra saepe inclinationibus animi vincitur, cupiditatibus in servitutem redigitur, vitiis denique sceleribusque in hunc modum subigitur, ut, etiamsi ipsi liberrime nos agere opinamur, vi tamen aliena coacti ejusmodi facinora perficiamus, quae si veram nobis rationem redderemus ipsi gravissime improbaremus. Sic condita in animis nostris et progerminata libertas; quam tota vita excolere debemus — nam hunc in finem nati sumus, ut non tam a principio liberi essemus, quam in dies magis liberos nos redderemus — tollitur. Vera enim libertas animi non est ista, qua sine recti honestique conscientia et cupiditatibus prorsus subjecti pessima quaeque et perniciosissima, quae primo adspectu speciosa nobis

videntur sensibusque titillationem adhibent cupimus agimusque, sed qua sanae voluntati honestisque moribus et appetendo et agendo libentissime obtemperamus. Propria etiam nostra agendi potestas haud raro adempta vera animi libertate, vel deficientibus aut corporis aut mentis viribus vel adversante fortuna et repugnantibus rebus temporibusque inanis redditur. Quae quum ita sint evidenter inde sequitur, quod mens humana sui ipsius conscia reliquis omnibus et rebus et animalibus longe perfectior quidem non vero perfectissima subsistendi forma sit. Quum vero haec ipsa mens nostra sane initia omnis perfectionis contineat, quum porro ipsi nobis hanc indolem praestantiamque non dederimus, sed ab alio potius acceperimus et sicut omnes universi hujus mundi res creati simus: ens aliquod exsistat necesse est quod et hominibus animum rationalem attribuit et ipsum perfectissima mente sui ipsius conscia praeditum est, cujus scilicet intellectus omnia visibilia et invisibilia amplissimo complexu summaque perspicuitate cogitat, cujus voluntas re vera libera nec ullis extraneis necessitatibus subjecta et absolutae rationis sanctitatisque legibus omnimodo accommodata et consentanea est; cujus denique actiones ne minime quidem rerum temporumve repugnantia vel virium defectu, vel intellectus aut voluntatis terminis impediuntur, sed potius secundum ipsius auctoris liberrimam voluntatem optimumque consilium adversus omnes impugnationes ad finem usque perducuntur. Nec ipsa nostra ratio dubitare potest, quin ejusmodi ens, nempe mens sui ipsius conscia et ea absolute perfecta vere exsistat, siquidem nostra exsistentia nullo alio modo explicari potest. Essentiam suam non ipsos homines sibi dedisse sed ab alio quodam accepisse sive quod idem est creatos esse vix quisquam est qui concedere dubitet. Itaque merito quaerendum est, a quonam creati simus. A natura, quae ne dicamus ratione — ipsa enim numinis alicujus perfectissimi ratio per universam rerum naturam elucet — certo tamen sui ipsius conscientia omnino caret? At tum natura majorem profecto atque prae-

stantiorem, quam ipsi inest subsistentiam nobis attribuisset quod nulla ratione cogitari potest. An a parentibus nostris, qui sane mente sui ipsius conscia, sed aeque ac nos ipsi definita et imperfecta praediti fuerunt? At tum rursus quaestio rediret, a quonam parentes creati sint et sic retro quaerere non desineremus, donec tandem ad creatorem ipsis creaturis suis quod attinet ad subsistentiam excelsiorem et perfectiorem perveniremus et in eo demum ratio requiesceret. Manifestum igitur est, aliquam mentem sui ipsius consciam et eam absolute perfectam exsistere et hoc ipsum ens recte Deum appellari. Priusquam autem hanc materiam absolvamus argumentum, quod amplius supra explanavimus usitata artis logicae formula breviter proponere placet. Erat itaque:

Propositio major: Numen divinum est ens perfectissimum.

Propositio minor: Summus essentiae gradus est mens sui ipsius conscia.

Conclusio: Ergo Deus perfectissima mens sui ipsius conscia est.

CAPUT III.

Respondetur ad nonnullas objectiones.

Quamquam confidere non dubitamus, fore ut demonstratio nostra ad persuadendum firmissima sit, haud leves tamen scrupuli a viris doctis hujusque quaestionis peritis objici nobis possent, quos nequaquam praetermittendos esse existimamus. Duas praecipue objectiones in animo habemus, quarum responsionem hoc loco anticipare libet; reliquas, quae ultro proferri possent ut minus graves et facile diluendas hic omittemus. Igitur dicat aliquis: tu Deum summam mentem sui ipsius con-

sciam esse contendis; sed dicas mihi quaeso ubi hanc mentem inveniam locumque mihi ostendas, quo tale ens versatur? Nam si re verà ens aliquod sui ipsius conscium est necessario etiam propriam et quasi peculiarem subsistentiam habet. Et sane hoc quidem negari nequit, menti sui ipsius consciae propriam subsistentiam attribuendam esse. Sed contemplare hominem, qui et ipse mente sui ipsius conscia praeditus est. Certe nec corpus nostrum idem quod animus nec altera ex parte animus rationalis idem quod corpus est, nisi forte in absurdam eorum opinionem dilaberis, qui nihil nisi corpora in rerum natura esse statuunt atque hominem veluti machinam cogitantem faciunt; sed animus in corpore est et operatur. Si vero quaeris, quonam loco mens nostra sui ipsius conscia sit, nemo est, qui sine omni dubio verum tibi respondeat. Anima sane, quae nobis cum ceteris animalibus communis est, quibusdam praecipue corporis partibus astricta est ut cerebro vel cordi, vel sanguini. Quin etiam hoc concedendum est, mentis efficacitatem saepe deficientibus corporis viribus aut impediri aut omnino tolli, siquidem animus noster rationalis per hanc vitam terrestrem corpore tamquam organo suo utitur. Neque tamen mens humana sui ipsius conscia certae cuidam corporis parti prorsus alligata est, sed per totum corpus et manifesto apparet et operatur atque haud raro corporis etiam vires superat, quum e. g. saepenumero et loci et temporis spatia mirum in modum devincat et debilitatis per senectutem totius vitae viribus summi profecto usque ad extremum spiritum vigoris speciem, evidentissimum immortalitatis documentum praebeat. Jam quod menti humanae admodum definita quidem et imperfecta ratione attribuendum esse vidimus ad Deum mentem summe perfectam et sui ipsius consciam accommodare possumus, si universam rerum naturam quasi ejus corpus esse accipimus. Haec sane perfectissima mens non certo cuidam mundi loco astricta est, sed in toto hoc universo ubicunque et est et operatur, ita ut quaeque aut exsistant aut

oriantur aut fiant illius omnipotentiam, sapientiam, benignitatem, sanctitatem manifestent. Neque tamen ipsius numinis divini subsistentia cum universo rerum ordine confundenda est, quasi quaedam innata naturae vis esset. Illa potius mens primo semet ipsam cogitando percipit itaque ante omnia saecula universamque rerum naturam re vera per se ipsam exsistit; tum omnia et invisibilia et visibilia amplissimo complexu summaque perspicuitate intelligit et quaecunque sunt ex optimo liberrimoque voluntatis suae consilio et creat et conservat et regit, quae quidem ipsius operatio non uno temporis momento absoluta et quasi confecta est, sed per omnia potius mundi saecula continuatur, ita ut non minus in communibus immutabilibusque naturae legibus, quam in singularibus praecipuisque divinae efficaciae testimoniis ab hominibus conspici possit. Haec est vera ac justa Dei vivi notio, quae e proposito nostro argumento recte derivatur, haec inquam vera numinis summe perfecti idea, quam theismus amplectitur; quum e contrario illud ens absolutum, quod pantheistae mente sibi fingunt, quod sui ipsius conscientia ideoque propria per se subsistentia caret et in mundo demum ac praesertim in naturis intellectu praeditis veram suam exsistentiam assequitur nostro certe judicio neque rationi neque philosophiae parti morali neque religioni ullo modo sufficiat. Sed aliam adhuc adversarius aliquis objectionem in medium proferre posset. Tu Deum, ens perfectissimum personam esse statuis ideoque aliae exadversus illum exsistunt personae, homines scilicet mente sui ipsius conscia praediti. Sed nonne unumquodque ens si alia ejusdem generis sunt definitum et quasi ab iis determinatum hoc est imperfectum sit necesse est? At hoc ipsum quod attinet ad mentes sui ipsius conscias minime concedendum est. Jam quae ex communi vitae humanae usu percipimus nequaquam unam mentem sui ipsius consciam ab altera determinari eoque imperfectam fieri nos docent; siquidem inter ipsos homines varii internae perfectionis gradus reperiantur et

qui praecipuis ingenii dotibus exornati sunt eximium saepissime et admiratione nostra dignissimum animi cultum consequantur, ita ut non aequales solum, sed posteriora etiam hominum genera virtute praestent, quales sunt viri in quocunque scientiarum vel honestarum artium genere elati ingenii. Imperfectio mentis nostrae tantum e definita determinataque naturae humanae conditione oritur, quae in Deum non cadit. Imo potius, quum jam animus noster rationalis tot tantisque viribus praeditus sit, ut plures perpetuo virtutes sibi acquirere et remotis omnibus cancellis in infinitum procedere queat: quid impedit, quominus mentem et intellectu et ingenio et voluntate prorsus indeterminatam absoluteque perfectam exsistere censeamus? An forte sui ipsius conscientia quae proprie mentis per se subsistentiam sive personam constituit necessario determinationem ideoque imperfectionem includit? At hoc nullo modo probari potest. Etenim nostri ipsius conscientia id efficit, non ut nosmet ipsos terminis circumscribamus et definiamus, sed quaecunque aut sensibus aut intellectu perceperimus ad nos ipsos referamus itaque summum vitae nostrae finem in nobis ipsis positum esse cognoscamus, qua conditione sublata homo nec intellectum nec voluntatem nec mores suos usque ad summam, quam consequi valet perfectionem excolere posset. Quid igitur dicendum nobis erit? An hoc ipsum, sine quo mentem re vera per se subsistentem ne cogitare quidem possumus, hoc ipsum, inquam, quod mentis nostrae quamvis determinatae et imperfectae summa praestantia et inexhaustus omnis interni profectus fons est, numini divino competere negabimus? Minime vero. Sed si mentem sui ipsius consciam perfectissimam, quae cogitando percipi potest formam esse ex praecedente nostra demonstratione persuasum habemus, Deo, enti perfectissimo hunc profecto subsistendi modum et summo quidem gradu attribuere nullo modo dubitabimus.

CAPUT IV.

Proximae aliquot argumento nostro sententiae proponuntur.

Hoc unum jam reliquum nobis esse videtur, ut num forte ejusmodi sententiae, quae cum nostra demonstratione consentiunt, prioribus quoque temporibus in medio propositae sint quaeramus. Et si in illa saecula, quae religionis Christianae revelationem antecedebant regredimur, jam celeberrimi illi antiquitatis philosophi multa et praeclara de Deo, quem mentem sui ipsius consciam (νοῦν sive λόγον) esse statuebant disseruerunt; quum numinum divinorum multitudinem, quam antiquissimi poëtae sapientesque praedicaverant communisque populi fides summa diu verecundia amplectebatur, non tam esse negarent quam ad unum ens perfectissimum referrent eique intellectum summam exsistentiae formam attribuendum esse docerent. Ita jam Socrates perfectioris inter Graecos sapientiae auctor et quasi pater disertis verbis: „et insita tibi“ inquit „mens rationalis corpus tuum ex voluntate sua regit. Itaque „credere debemus, insitam quoque universo intelligentiam universum hunc rerum ordinem sicut illi placet ordinare.“ [1]) Similiter quoque praestantissimi ejus asseclae philosophicam de numine divino doctrinam excolebant. Ita Plato, etiamsi multis locis ideas veras et perfectissimas tamquam universi hujus mundi visibilis imagines esse diceret, divinam tamen mentem intellectu praeditam, quae omnes in semet ipso ideas contineret et secundum eas universam rerum naturam conformaret exsistere statuit, ut si haec fere verba legimus: „Dicamus profecto, quam per „causam creator ipsam suam creationem totumque hoc universum „constituerit. Bonus erat: in bonum autem nulla unquam ullius

---

1) cf. Xenophon: Memorabilia Socratis I, 4, 17.

„rei invidia cadit. Cujus quum expers sit, omnia quam potis„simum sui ipsius simillima fieri voluit.... Considerans vero, „nullum omnino in universa rerum natura opus quod intellectu „egeret ratione praedito unquam pulchrius futurum, rationem „vero sine animo exsistere non posse invenit. His igitur con„sideratis intellectum animo, animum corpori conjunxit eoque „modo hoc universum exstruxit. Ita sane rationi consentaneum „erit, si universam hunc mundum rationale et animatum re vera „per Dei providentiam factum esse dicimus.... Et profecto etiam „sermonem nostrum jam nunc ad finem usque omnino pervenisse „dicamus. Namque hic mundus viva et mortalia et immortalia „continens iisque impletus, ens vivum visibile visibilia complectens „imago Dei intelligentis sensibus subjectus, maximus et optimus, „pulcherrimus et perfectissimus factus est, unum hoc coelum „unigenitum." [2]). Distinctius adhuc Aristoteles intellectum, qui semet ipsum cogitet et amplectetur summum exsistentiae gradum primum illud movens omnium universo motuum veluti fons et principium atque hanc veram numinis divini notionem esse confirmat, si „Semet ipsam autem" inquit „ratio secundum „intelligentis conceptionem intelligit; ratione enim praeditus se „ipsum tangit et concipit, ita ut intellectus et intelligens unum „idemque sit.... Dicimus autem, Deum esse mentem aeternam „optimamque, ita ut vita aevumque continuum ac sempiternum „numini divino competat; hoc enim est Deus" [3]). Post Aristotelem primo Stoici philosophi effloruerunt, inter quos Kleanthes praecipue argumentum pro Dei exsistentia, quod cum demonstratione nostra propemodum convenit his verbis proposuit: „Si „unum ens vivum altero praestentius est, sane ens vivum prae„stantissimum exsistat necesse est; in infinitum enim regredi „non possumus. Omnibus autem, quae terra gignit animalibus „homo praestat. Itaque homo praestantissimum ens vivum esset. „Neque tamen homo praestantissimum ens vivum esse potest.

2) cf. Plato: Timaeus 30 c. 92 c. Opera ed Beck t. VII. p. 18 sq. 106.
3) Aristoteles: Metaphysica XII 7.

„Nam ob debilitatem suam imperfectum et a perfecto longinque „separatum est. Perfectum vero homine praestantius sit necesse „est. Hoc autem a Deo diversum non erit. Ergo est Deus“ [4]). Neque praetermittendus nobis est Cicero, qui doctrinam philosophicam non peculiari quidem ratione excoluit, sed primus tamen a Graecis ad Romanos transtulit multaque et egregia et fidei Christianae admodum consentanea quum eximia sapientia, tum pio animo de rebus divinis disseruit, ut si haec ejus verba legimus: „Nec vero Deus ipse alio modo intelligi potest, nisi „mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione „mortali omnia sentiens et movens ipsaque praedita motu sem„piterno. Talis igitur mens mundi quum sit ob eamque causam „vel prudentia vel providentia appellari, recte possit (graece enim „προνοία dicitur), haec potissimum providet et in his maxime „est occupata, primum ut mundus quam aptissimus sit ad per„manendum, deinde ut nulla re egeat, maxime autem, ut in eo „eximia pulchritudo sit atque omnis ornatus“ [5]). Jam si ad Scripturas Sacras accedimus, omnium et Veteris et Novi Testamenti librorum auctoribus Deum personam id est mentem perfectissimam sui ipsius consciam esse quam firmissime persuasum erat ideoque sacros scriptores illis posteriorum saeculorum ad Dei exsistentiam probandam demonstrationibus aut nunquam aut certe admodum raro usos esse facile intelligemus. Neque tamen desunt ejusmodi sententiae, quae ab argumento nostro non prorsus alienae sunt, siquidem legimus: „Qui plan„tavit aurem non audiet aut qui finxit oculum non considerat?“ et alio loco: „Quia notum Dei iis manifestum est; Deus enim „illis manifestavit: Nam invisibilia ipsius inde a creatura mundi „per ea quae facta sunt intelligendo conspiciuntur sempiternaque „ejus virtus atque divinitas, ita ut inexcusabiles sint“ [6]). Simili quoque ratione omnes omnium saeculorum theologi Chri-

4) cf. Kleanthes apud Sextum Empericum: adversus Mathematicos IX p. 88—91.

5) cf. Cicero: Quaestiones Tusculanae I 27. De natura Deorum II 22.

6) cf. Psalm XCIV 9. Pauli: epistola ad Romanos I 19. 20.

stiani rerumque divinarum doctores Deum personam hoc est mentem sui ipsius consciam esse ideoque propriam ei subsistentiam competere sine omni dubio tenebant neque etiamsi veram Dei essentiam infinitam immensamque esse et humana cogitatione comprehendi non posse dicerent sui ipsius intelligentiam numini divino attribuendam esse negabant, ita ut singulas eorum sententias afferre omnino necesse non sit. Quin etiam primi recentioris philosophiae auctores *quod attinet* ad propriam Dei exsistentiam cum fide Christiana prorsus convenerunt, ut si Leibnitius: „Deus“ inquit „secundum nostram „sententiam est intelligentia extramundana sicut Martianus Capella „eum apellat sive potius supramundana“ [7]). Is vero philosophus, qui primus Deum mentem sui ipsius consciam esse disertis verbis negabat Spinoza erat, de cujus doctrina supra jam disseruimus [8]). Numen divinum potius absolutam esse substantiam dicebat, cujus modi in rerum natura effecti cogitatio (in mentibus intellectu praeditis) et extensio (in corporibus extensis) essent. Ipsi contra absolutae substantiae sui ipsius conscientiam nullo modo competere posse contendebat, ut si „ostendam“ inquit „ad Dei naturam neque intellectum neque voluntatem per„tinere. Si intellectus ad divinam naturam pertinet, non poterit „uti noster intellectus posterior (ut plerisque placet) vel simul „natura esse cum rebus intellectis, quandoquidem Deus omnibus „rebus prior est causalitate; sed contra veritas et formalis rerum „essentia ideo talis est, quia talis in Dei intellectu exsistit ob„jective. Quum itaque Dei intellectus sit unica rerum causa „videlicet tam earum essentiae quam earum exsistentiae, debet „ipse nesessario ab iisdem differre tam ratione essentiae quam „ratione exsistentiae. Nam causatum differt a sua causa praecise „in eo quod a causa habet. Atqui Dei intellectus est et essen„tiae nostri intellectus causa: ergo Dei intellectus, quatenus „divinam essentiam constituere concipitur, a nostro intellectu tam

---

7) cf. Leibnitius: Theodicea II 217.
8) cf. Pars I cap. IV.

„ratione essentiae quam ratione exsistentiae differt, nec in ulla „re praeterquam in nomine cum eo convenire potest ut vole-„bamus“ [9]). Simili quadam ratione J. G. Fichtius quoque Deum subsistentem per se mentemque sui ipsius consciam esse negabat. „Ens absolutum“ inquit „sive numen divinum est ordo „quidam eventorum (sive legum ad mores pertinentium per „universam rerum naturam ordo) non forma quaedam exten-„*sionis*; numen divinum non substantia vel quid dicendum est; „nam hoc modo materia extensa et oculis vel auribus per-„cipienda est. Numen divinum non est esse, sed actus purus „hoc est vita principiumque ordinis cujusdam sensibus non „subjecti, quemadmodum et ego, intellectus quidem definitus „non esse sum, sed actus purus, actus debitus tamquam or-„dinis illius sensibus non subjecti socius. Omnis cogitatio „nostra est definitio ideoque conceptio vocatur, id est compre-„hensio multorum, quae definiri possunt, ita ut extra positos „terminos semper aliquid relinquatur, quod non simul compre-„hensum sit neque ideo notioni competat. Omnis quam con-„cipimus re vera exsistentia finita tantum est eoque finita fit, quod „eam concipimus. Quodcunque nobis aliquid est, ideo est quia „aliud non est; omnis positio non nisi negatione fieri potest; vox „enim definiendi nihil aliud quam determinare significat. Itaque „si Deum conscientiam dicere velimus, finem ipsi humanae con-„scientiae tribuimus, quo sublato nihil nisi incomprehensibilis „quaedam scientia relinquitur et haec certe Deo, qui ut ita „dicamus, eo ipso sensu mera conscientia et intelligentia et „animi vita et actio est competit, modo ut hoc comprehendi „nequeamus ideoque potius ab accedente ad essentiam ipsius „definitione prorsus abstineamus et e philosophicae doctrinae „severitate abstinere debeamus; omnis enim numinis divini con-„ceptio Deus fictitius fieret et commentitius“ [10]). Proxime

---

9) cf. Spinoza: Ethica I Propos XVII Scholion.

10) cf. Editorum ephemeridis philosophicae defensiones forenses contra atheismi crimen. Jenae 1799. p. 37, 40.

cum eo convenit Schellingius in priore sua philosophicae doctrinae conformatione, si e. g. haec fere verba legimus: „Ens „quod ipsum solum, quasi mera unitas esset, necessario est. „Itaque si tamquam unum esse debet in semet ipso se mani-„festet necesse est; sed manifestare se nequit, si ipsum tantum, „non in se ipso aliud et in hoc alio ipsi sibi unum hoc est „vivum omnino sui ipsius et alii cujusdam vinculum est" [11]). Denique et Hegelius ens absolutum personam sive mentem sui ipsius consciam esse negabat, si disertis verbis „ipsa" inquit „quae menti absolutae competit sui ipsius conscientia est „religio. Haec autem est scientia mentis divinae de se ipsa per „mentem finitam. Ita tandem religio non est hominis alicujus „res, sed re vera summus ideae absolutae finis, quae se ipsam „definire debet, ut hac definitione sui ipsius conscientia fiat. „Deus is in se ipso motus est, qui se ipsum finitum facit fini-„tumque rursus in se recipit eoque tantummodo Deus est; in „mente sui ipsius conscia, quatenus se ut finitam tollit, Deus „ad se redit et Deus nihil aliud est nisi ipse hic reditus. Mens „absoluta primo est sibi ipsi apparens; ipsa ejus species est „rerum natura; attamen non apparens solum, sed ipsi sibi „apparens, non pro aliqua re solum sed pro se ipso esse ideoque „sui ut mentis conscientia est. Nostra quidem essentiae abso-„lutae conceptio ipsa essentia absoluta est, sed in ea essentia „Deus non omni ex parte confectus est; nam non essentia solum „sive quae tantummodo ad cogitationem valet, sed re vera etiam „exsistentia numini divino competit. Exsistentia ejus quoad „essentiam nostra de eo cogitatio est, re vera ejus exsistentia „est rerum natura, cui singuli quique cogitantes insunt." [12]). Neque tamen altera ex parte inter recentiores philosophos theologosque defuerunt; qui Dei personae sive mentis sui

---

11) cf. Schellingii: Explicatio verae inter philosophiam naturae emendatamque Fichtii doctrinam rationis p. 53.

12) cf. Hegelii: Philosophia religionis I 122. 129. 133. Historia philosophica III 46.

ipsius consciae notionem defenderent. Supra jam Cb. F. Sintenis mentionem fecimus, qui in libro suo Pistevon sive de Dei exsistentia inscripto hanc ipsam numinis divini notionem clare distincteque proponit [13]). Accedit ad eum Jacobi, cujus haec fere verba sunt; „quod essentia sua unum est (Deus) „cum illo quod essentia sua non-unum est confundi nequit. „Quod se ipsum percipiens et libertatem et Deum, summum „bonum percipit quod sanctitatem virtutemque constituens reli„gionem manifestat religionemque manifestans sanctitatem virtu„temque constituit quorum utrumque cum altero inseparabiliter „conjunctum est hoc est mens et extra eam nulla veritas. „Deus in nobis et supra nos, species et imago disjunctae quidem „et inseparabili tamen conjunctione unitae, hoc solum de eo „nobis annuntiatum est et annuntiari potuit. Hac ratione Deus „se hominibus vivum et per omnia saecula continuo manifestat. „Inter manifestationem per externas tantum species, quaecunque „sint vel dicantur, et internam illam principalemque eae sum„mum intercedere possunt vices, quae orationem inter et rationem „constitutae sunt" [14]). Nostra quoque memoria plures viri doctissimi atque de philosophia et theologia optime meriti eandem numinis divini notionem proposuerunt et tuiti sunt. Ita J. H. Fichtius celeberrimi philosophi filius haec fere verba scribit: „Itaque idea primo et principaliter est absoluta quies sui ipsius „concipiendi vel comprehendendi respectu totius essentiae suae „complexus; fixa duplicitatis forma, quae semet ipsam ponit et „in in ipsa tamen positione sibi unum manet; conscientia sive „accuratius sui ipsius conscientia, id quod nos, naturae scilicet „corporales Ego appellare possumus. Et in eo demum abso„lutae unitatis notio jus suum plenissime adepta summaque ser„monis voce significata esset: idea est absolata unitas, absoluta „vero unitas est Ego et omnes hae significationes unum idemque

---

13) cf. Pars I cap. VII.

14) cf. Jacobi, F. H.: De rebus divinis earumque manifestatione 1811. Opera 1812—25 vol. III.

„significant. Ego igitur absoluti omnino forma est. Jam vero „quum essentia formaque disjungendae non sint, sicut ab iis „qui nullam rei notionem habent saepissime fit, sed forma „potius ipsam entis absoluti essentiam constituat, ideo ens ab- „solutum secundum essentiam suam immediate ego, sive sui „ipsius conscientia est. Si jam prius ens absolutum potestatem „libere procreatricem esse mente concipiebamus, ea tum quidem „libertas prorsus obscura videbatur, quia caeca erat *neque aliud* „quidquam efficere poterat, quam ut posteriorem explicationem „praepararet. Nunc illa ipsa conceptio penitus justificata est: „ens absolutum tamquam sui ipsius conscium ideoque ex con- „scientia sua libere creans concipimus ideamque absolutam per- „sonam summo ac praestantissimo sensu sive Deum esse negare, „nihil aliud esset, quam absolutam ei formam ipsamque abso- „lutam essentiam derogare, quia hoc ut demonstratum est illud „immediate continet.“ [15]). Denique alia quadam via ac ratione C. P. Fischerus [16]) et Ch. H. Weisse [17]), qui a philosophiae Hegelianae disciplina profecti doctrinam illam sui ipsius ingenii contentione excolere studebant, Deum personam sive mentem sui ipsius consciam intellectu concipiendum esse magna et sagacitate et gravitate docebant. Sed nos hoc loco disquisitionem nostram absolvere possumus. Nostra enim intererat, ut eam ipsam Dei sive entis absolute perfecti notionem, quam cum communi hominum ratione et religionis, praesertim fidei Christianae indole omnimodo convenire cognoveramus atque ipso argumento nostro quam maxime fieri potuit confirmaveramus jam inde ab antiquissimis humani generis temporibus ad nostra usque saecula a viris doctissimis propositam et denuo saepissime renovatam esse certissimis documentis probaremus. Qua re

---

15) cf. Fichtii, J. H.: Propositiones ad praeparandam theologiae doctrinam Stuttgartiae et Tubingiae 1825. § 23. p. 62 sq.

16) cf. Fischeri. C. P.: Idea numinis divini etc. Stuttgartiae 1839.

17) cf. Weisse, Ch. H.: Philosophica hujus temporis quaestio. Epistolae ad J. H. Fichtium missae, Lipsiae 1842.

peracta demonstrationem nostram etsi non unicam-variis enim permultis rationibus Dei mentis summe perfectae exsistentiam demonstrari posse summaque saepenumero sagacitate a viris sapientibus comprobatam esse scimus-sed idoneam tamen, qua gravissima illa omnibus hominibus veritas firmari queat virorum doctorum hujus rei peritorum considerationi ac judicio commendamus neque operam nostram in hac re navatam omnino cassam fuisse speramus.

TYPIS EXSCRIPSIT J. E. DIERCKSEN, BREMANUS.

Errata typographica.

Pag.	17	versu	23	pro	inielligehant	lege	intelligebant.
„	20	„	17	„	sesundum	„	secundum.
„	38	„	4	„	aberius	„	alterius.
„	50	„	16	„	demontrata	„	demonstrata.
„	65	„	13	„	rufficiens	„	sufficiens.
„	89	„	20	„	cogitari	„	cogitare.
„	97	„	4	„	mentum	„	mentium.
„	104	„	3	„	tautum	„	tantum.
„	126	„	8	„	universam	„	universum.

Quae levioris momenti sunt, ut omissa distinguendi nota rogamus lectores benevolentes ut ipsi emendare velint.